יהוה בשם

DISSERTATIO HISTORICO POLITICA, DE BELLO MITHRIDATICO,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

Consensu Ampliss. Senatus Philos. in Regio Upsalensium Lycæo,

PRÆSIDE

CELEBERRIMO VIRO,

DN. JOHANNE

FERMARSON,

Eloqu. & Polit. PROFESS. REG.

& SKYTT.

Publice ventilandam sistit

S:Æ R:Æ M:TIS ALUMNUS,

LAURENTIUS PORTUAN,

GESTRICIUS.

In Audit. Gust. Maj. horis ante meridiem consvetis, d. XII. Decemb. A. O. R. CIↃIↃCC XX VI.

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

Högädla och Wälborna Fru Biskopinna/

Fru CATHARINA BRÅMS/

Min Höggunstiga Fru.

HUru Mars med swärd och dunder
Stad och Land månd' kufwa under/
Ha wi med wår stada lärdt:
Wilje gierna nu förswärja
Krut och Lod/ samt spets och wärja/
Som wårt Land så swåra tärdt.

Dock min tanckar månd' migh drifwa/
At om slika saker skrifwa;
Och ther jemte åfwenwäl/
Hnr' Förbund och Tro bör sytas/
Huru slikt ock plägar brytas/
An med orätt/ án med skjäl.

Om alt sådant til at nämna/
Gifwes rum i thetta ämne;
Store MITHRIDATIS KRIG.
Lät/ miu FRU/ thet arbet ringa/
Som jag månd' här om frambringa/
Med Ehrt Namn så pryda sig.

Eder

Eder höga gunst och hylleſt/
Som J wiſat har tilfylleſt
Mig och Mine på alt ſätt/
Mänd' i ſtörre grad ſig finna/
Än jag nänſin then kan hinna
Prisa/ och omtala rätt.

Dock jag Thetta offererar,
Och Ehr ödmiukt dedicerar,
För all gunſt och godhet ſlik/
Til et prof af tackſamt minne;
Tag thet op med gunſtigt ſinne:
Hwar en är ſin gåfwa lik.

Önſkan ſkal thet mera fylla;
Himlen täcks Ehr altid hylla/
Skydda/ leda med ſin ſtaf/
Tills han ſlut Ehr täckes gifwa
Ewig ſällhet! Så ſkal blifwa
Steds min önſkan/ til min graf.

Högädla och Wälborna
Fru Biſkopinnans

Ödmiukaſte tjenare
LAURENT. PORTUAN

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Nobilissimo ac Generosissimo,
DN. PETRO JULIO
LAURINLEHE/
Legionis Helsingicæ
CHILIARCHÆ
Strenuissimo.
PATRONIS & PROMO-
Amplissimo atque Celeberrimo VIRO,
DN. JOHANNI
HERMANSON/
Eloqu. & Polit. PROFESSORI
REG. & SKYTT.
PROMOTORIBUS & PA-

DElicia Phœbi & Themidos; queis turba clientum,
Spemq; omnem debet nostra Thalia suam,
Limina jam tenui cum munere vestra, Patroni
Hæc petit, & solito freta favore rogat:
Suscipite O! faciles, tenuis munuscula chartæ:
Generosiss. Summe Reverend.

Summe Reverendo &
Amplissimo VIRO,

DN. DANIELI

JURÆO,

S.S. Theol. DOCT. & PROFESS.
Primario, ARCHI-PRÆPOSITO
& PASTORI Upsalens. Dignissimo,
ven. Consist. Eccl. ADSESSORI
Gravissimo,
TORIBUS MAGNIS.
Nobilissimo atque Consultissimo VIRO,

DN. OLAVO LUNDSTEDT,

JUDICI TERRITORIALI apud Wermelandos æquissimo, NUTRITIO meo benignissimo.
TRONIS OPTIMIS.

Obsequii hæc grati pignora certa sient.
Ipsa preces castas addit, vorumq; perenne;
Nec quidquam melius, quod dare possit, habet:
Vivite Nestoreæ per tempora longa senectæ:
Este, precor, faciles tempus in omne mihi.

Amplist. ac Nobilist. Nom. Vestr.

devotissimus cultor
LAURENTIUS PORTUAN.

Spectatissimo Prudentissimoq; VIRO,

Dn. JOHANNI WHR/

Officin. Ferr. in Hammarby & Gammelstilla / PATRONO ac DIRECTORI solertissimo.

VIRO Reverendo atque Doctissimo,

Dn. OLAVO WARG/

V. D. COMMINISTRO in Enånger & Niutånger laudatissimo, consanguineis & Fautoribus meis optimis.

Spectatæ Prudentiæ ac Dignitatis VIRO,

Dn. ANDREÆ ABRAMSON BRO/

SENATORI & MERCATORI apud Söderhamnenses maxime conspicuo, Fautori meo Honoratissimo.

Specimen hocce levi penicillo adumbratum, in pii animi tesseram, cum sincera omnigenæ felicitatis adprecatione

D. D. D.

Nominum Vestrorum

Cultor indefessus

L. PORTUAN.

A. † Ω.

MEMBRUM PRIUS, HISTORICUM.

§. I.

Nter graviſſima, quæ domina illa gentium Roma olim, pro adquirendo orbis imperio, geſſit bella, fuit illud, quod ab ipſo hoſte acerrimo dictum fuit Mithridaticum. Sive enim magnitudinem ejus ſpectes, omnes Aſiaticæ gentes, Romanis vel ſociæ vel ſubjectæ, ei implicitæ fuerunt; ſive diuturnitatem, illud per integros XXX. vel ut alii volunt, XL. annos duravit, varia fortuna terra marique geſtum: adeo ut ipſo Pyrrho & Hannibale atrocior hic Romanæ

manæ potentiæ æmulus jure visus fuerit. Quid enim ab illo metuendum non erat, qui integra LM. equitum, peditum CCLM, naves proprias plus quam CCCC. contra hostem educere poterat? præter auxilia, quæ ei ferebant reges & reguli Armeniorum & Scytharum, quotquot Pontum Mæotidemque paludem, & inde porro usque Thracium Bosphorum mare accolebant *a*): qui, elatus animis ingentibus, Asiæ totius & Europæ cupiditate flagrabat *b*): cujus jussu, quicquid civium Romanorum in Asia fuit, trucidatum est *c*): qui tribus ingentibus bellis, subinde cæsus, castris armisque exutus, & a suis desertus, confestim vires reparare, velut hydra, uno amputato capite, gemino renascente, atrocior insurgere, ipsi tandem Italiæ ultima mala minari potuit. Unde non sine ratione, bellum illud, ut perquam grave & atrox, Cicero describit, in quo ageretur populi Romani gloria, salus sociorum atque amicorum, certissima populi Romani vectigalia, & bona multorum civium *d*) & Appianus de Cn. Pompeji triumphis,

phis, post debellatum fraude Pharnacis filii, Mithridatem, agens, fatetur, quod nemo ad eam diem, tanto hoste sublato, tantum provinciarum imperio adjunxisset, ut Romana pomœria usq; Euphratem promoveret *e*). De hoc bello, in modum Dissertationis Academicæ, paucis agere constituí; ita ut præmissa, ad ductum optimorum reipubl. Rom. scriptorum, *brevi*uscula narratione historica, in causas ejus & justitiam armorum, eorumque, quæ inde consecuta sunt, propius inquiramus.

a) *Appian. Alex. de Bell. Mithrid. p. m.* 295. *b*) *Flor. lib. 3. cap. 5. c*) *Liv. Epit. lib.* 78. *d*) *Orat. pro Leg. Manil. cap. 2. e*) *de Bell. Mithrid. p. 416.*

§. II.

Mithridatem, a quo hoc bellum denominatur, Eupatorem Dionysum cognominatum, decimum sextum suæ stirpis esse, a Dario Hystaspide, evincunt historici plerique. Quamquam enim dicit Appianus: ὁ Μιθριδάτης ἐτέθηκεν, ἐκκαιδέκατος ἐκ Δαρείου τοῦ ἀπὸ Περσῶν βασιλέως, ὄγδοος δὲ ἀπὸ Μιθρι-

Μιθριδάτης, τῦ Μακεδόνων ἀποστάντος τε, καὶ κτησαμένης (κτισαμένης) τὴν Ποντικὴν ἀρχήν: *a*) i. e. *Mithridates obiit sextus decimus ejus stirpis, a Dario Persarum rege ultimo, octavus autem a Mithridate illo, qui primus, desertis Macedonibus, Ponticum regnum fundavit.* Vix tamen huic assertioni fides habenda videtur, si alias historiæ veritas sibi constet. Nam si Mithridates hic decimus sextus a Dario Codomanno fuerit, quem vicit Alexander M., non potuit esse octavus a Mithridate κτίστῃ, seu fundatore regni Pontici, qui Alexandro & Antigono Alexandri duci fuit coætaneus, & sic coætaneus etiam ipsi, cujus octavus nepos Eupator dicitur: quemadmodum Alex. Tollius in hunc locum probe observavit, qui textum corruptum arguit, & in hunc modum correxit: ἐκκαιδέκατος ὢν ἀπὸ τῦ Δαρείῦ τῦ Ὑστάσπῦ (pro ὑστάτῦ) Περσῶν βασιλέως, ἕκτος δε (pro ὄγδοος) ἀπὸ Μιθριδάτῦ &c. i. e. *Sextus decimus a Dario Hystaspide, Persarum rege, sextus vero a Mithridate.* Hoc etiam convenit ipsi Appiano, ubi alias de Mithridate Ctiste mentionem facit;

facit: ἐπὶ τε μέγα τὴν ἀρχὴν προαγαγὼν παισὶ παρέδωκεν· οἱ δὲ ἦρχον, ἕτερος μεθ' ἕτερον, ἕως ἐπὶ τὸν ἕκτον ἀπὸ τοῦ πρώτου Μιθριδάτου, ὃς Ρωμαίοις ἐπολέμησε b): i. e. *Et in majus ſuum extendens imperium, liberis ſuis tradidit: illi autem regnarunt alius poſt alium, uſq; ad ſextum a primo Mithridate, qui cum Romanis bellum geſſit.* Et hæc ſententia Polybio, Memnoni, Diodoro, Straboni & aliis maxime probatur, qui horum temporum hiſtoriam conſignarunt. Multa alias tradunt hiſtorici, de nativitate & educatione hujus Mithridatis, quæ paucis tantum attingere volumus, brevitati ſtudentes. Circa nativitatem ejus, pariter & initium regni, dicunt cometam magnum, per LXX. dies, mirum in modum luxiſſe, eoque quaſi futuram regis magnitudinem fuiſſe indicatam. Antequam ex ephebis exceſſit, arma tractare equosque regere, ſupra ætatem didicit. Cum etiam veneno ſe ſubinde appeti videret, invictum ſe adverſus illud fecit, antidota ſæpe bibendo. Ad quod illud Martialis quoque alludit:

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi c).

Hinc etiam antidotum Mithridaticum appellari creditur *d*). Ad evitandas etiam inſidias, ſeptem annis venationibus vacavit, quo tempore continuo in ſilvis verſatus eſt, neque urbis neque ruris tecto uſus, ſemperque cum feris luctari ſolebat; unde corpus ad omnem laborum patientiam firmavit *e*). Quare Xenophon venationem veriſſimam rerum bellicarum exercitationem dicit *f*). Quod etiam vult Plinius: „olim, inquit, hæc experientia juvenutis; hæc voluptas erat: his artibus „futuri duces imbuebantur, certare cum „fugacibus feris curſu, cum audacibus „robore, cum callidis aſtu *g*). Regnum paternum habuit noſter, ad oram Ponti Euxini, unde & Ponticum eſt vocatum, XXM. ſtadiorum in longitudinem patens. Cum autem juvenis adhuc, defuncto patre Euergete, regnum adeptus eſſet, ſubegit varias finitimas gentes, & dicitur tot didiciſſe linguas, quot gentes ſubjugaverat, duas nempe & viginti, ut ſine interprete cum illis facile colloqui poſſet.

Inter

Inter gentes autem, quas devicerat, erat Colchorum bellicosissima natio, Græcique, quï Pontum accolebant, & illis contigui barbari. Animos etiam sibi conciliavit Scytharum, Taurorum, Basternarum, Thracum, Sarmatarum, omniumque gentium, quæ ad Tanaim & Istrum paludemq; Mœotidem habitabant, Parthorum insuper Armeniorumque, quorum rex Tigranes Mithridatis erat gener, qui filiam ejus Cleopatram habebat in matrimonio *b*). Fortitudinem præterea atque magnanimitatem, aliasque hujus regis dotes prorsus insignes, verbis prædicat Vellejus Pat. notatu dignissimis; Mithridates Ponticus rex, "vir neque silendus neque dicendus" sine cura, bello acerrimus, virtute" eximius, aliquando fortuna, semper" animo maximus, consiliis dux, miles" manu, odio in Romanos Hannibal *i*).

a) *de Bell. Mithrid. p. 411. b*) *pag. 303. c*) *lib. 5. Epigr. 77. d*) *Seron. cap. 62. e*) *Justin. lib. 37. c. 2. f*) *lib. 1. Cyroped. g*) *Aegyr. cap. 81. b*) *Appian. cit. p. 295. & 310. Plin. lib. 25. Hist. Nat. Justin. lib. 38. cap. 3. lib. 2, cap. 18.*

§. III.

Si de tempore, quo cum acerrimo hoc hoſte bellare Romani cœperunt, hiſtoricos conſulamus, hi illud referunt ad primum Romanorum Triumviratum, Marii nimirum, Cinnæ & Syllæ *a)*, annumque a Roma condita DCLXIV *b)*. Quamdiu autem duraverit, non adeo pronum eſt invenire, variant enim in eo auctores. Appianus duraſſe dicit annos XLII. Florus XL. Juſtinus XLVI. Oroſius XXX. Bongarſius XXIX. *c)* cujus ultimi tamen ſententiam, ut tutiſſimam, ſequuntur plerique, calculum ab ipſo ortu hujus belli, ad Cn. Pompeji triumphum inſtituentes, qui in ſecundo Triumviratu, Romano imperio, cum Craſſo & Jul. Cæſare, præfuit. Verum ut propius ad rem ipſam perveniamus, haud incongruum videtur, hoc bellum in minora quædam diſtingvere: quandoquidem enim ſcriptores fide digniſſimi indicant, bis pacem in eo eſſe factam, tria merito bella ſub unius nomine conſiderabimus.

a) Appian. de Bell. Mithrid. p. 343. Biſſel.

de ortu & occasu Reip. Rom. Vet. §. 5. b) Idem ibid. Conf. Excerpt. Chron. ad Flor. c) Rong. ad Just. lib 37. c. 1. adde not. ad Appian. de Bell. Mithr. p. 294.

§. IV.

Primum itaque bellum Mithridaticum hanc originem habuit. Arguebant Romani, quod Mithridates, contra interdictum legatorum, Nicomedem Bithyniæ & Ariobarzanem Cappadociæ regem, qui in fidem eorum confugerant, regnis privasset. Quin & crescentem ejus potentiam extimescebant, quam prævenire consultum judicabant. Nicomedes quoque suam penuriam sublevandam pro argumento habebat: postulabant enim legati, qui illum in regnum reduxerant, ut pecuniam, non solum, quam ex pacto illis debebat, sed & illam, quam Romani ad usuram ei dederant, sine mora solveret. *

** Appian. Alex. de Bell. Mithrid. p. 304. & seq.*

§. V.

Mithridates contra incusabat, quod Nicomedes in regnum ejus irrupisset,

magnamque ejus partem esset deprædatus, idque svadentibus Romanis, ut materiam belli sibi quæreret. Cumque rex a ducibus Romanis, L. Cassio, Manio Aquilio & Q. Oppio, in Asia jam degentibus, postularet, ne Nicomedis adversus se caussam suscipe-rent ac tuerentur, neve se bello peterent, nisi tota lite prius apud senatum R utrinque disceptata; postulatum illud hi repudiabant, & cæco fervore ad arma concurrebant. Rex igitur Pelopidam legatum Romam misit, expostulatum, coram consulibus R, de Nicomede, petendo, ut aut opem ferrent Mithridati contra illum, aut sinerent ipsum se defendere, nec immiscerent se huic bello. Ad quæ Nicomedis legati responderunt; illum jam dudum a Mithridate adpetitum insidiis, quum Socratem armis in regnum induceret, quieturum alioquin, & cessurum ætati fratris majoris: & de cetero orationem suam ita adornarunt, ut ostenderent, injurias, quas Mithridatem Nicomedi intulisse contendebant, non magis eum, quam Romanos ipsos concernere. Pelopi-

dæ

dæ autem illi responderunt; neque placere sibi, Mithridatem molestari a Nicomede, neque Nicomedi bellum inferri passuros; illum enim detrimentis affici, non videri e republica sua. Cum vero hoc responsum coarguere vellet Pelopidas, dimiserunt eum e consistorio. *

* *Appian. de Bell. Mithrid. p. 306. & sequ. Bissel. de ort. & occas. reip. R. Vet. §. 5.*

§. VI.

Quando itaque Mithridatis quærelæ ac postulata, uti diximus, a Romanis ducibus erant delusa; rex tandem, de justa belli caussa satis persvasus, bellum strenue capessit, Cappadociamque primum ingreditur, & Ariobarzanem regem e regno ejicit, filiumque suum Ariarathem in locum ejus constituit. Cumque Pelopidas denuo, ad ostendendum Romanis ductibus, quanta belli moles immineret, missus, castris eorum excedere jussus esset, non sine custodia; tunc in Nicomedem Bithyniæ regem arma convertit, contractis undique auxiliis, præter ingentem numerum do-

me-

mesticorum militum, quorum CCLM. peditum & XLM. equitum erant; habebat etiam CD. naves, aliumque tanti belli apparatum prorsus insignem. Huic exercitui ipse præfuit, una cum Neoptolemo & Archelao ducibus. Quibus objiciunt se Nicomedes & duces Romani, qui non exspectata S. P. q; R. sententia, bellum parantes, magnum colligunt exercitum e Bithynia, Cappadocia, Paphlagonia & Gallogræcia, atq; hunc inter se dividunt. Cassius castrametatur in confinio Bithyniæ & Gallogræciæ; Manius, qua transitus patebat Mithridati in Bithyniam, & Oppius in finibus Cappadociæ. Ad Ponti quoq; custodiam classem constituunt, cui præficiunt Minucium Rufum & C. Popilium. Quum itaque sibi invicem occurrunt, in latis campis ad Amnium fluvium, fit magnus conflictus, dubio primum marte; tandem vero, superior Mithridates, Bithynos fundit magna strage, & castra illorum, omni opulentia referta, capit, præter ingentem numerum militum, quos benigne tractatos domum dimittit cum viatico, ut opinionem

onem clementiæ apud hostes sibi compararet. Traditur etiam ei tota Nicomedis classis, quæ ad Pontum erat constituta. *

* *App. Alex. de Bell. Mithr. p. 311. & seq. Bissel. cit. §. 5.*

§. VII.

Post hanc victoriam Mithridates Bithyniam occupat ac Phrygiam, & quæ reliquæ erant Romanorum provinciæ in Asia minore, multumq; inde auri & argenti, atque magnum belli apparatum deportat. Tributa quoque civitatibus remittit, & vacationem quinquennii concedit: unde magnum sibi apud illos conciliavit favorem, probe gnarus, nullam rem magis trahere populum, quam immunitatem & remissionem debitorum *a*). Jam etiam Q. Oppius & Manius Aquilius vincti ei traduntur. Illum solutum secum ducit rex, captivum ducem Romanorum ostentans: hunc, ut belli auctorem, asino imponit, passimque circumvectum proclamare cogit, se esse Manium, qui furore suo bellum Asiaticum incenderat. Quibus rex forte alludens voluit, judice Bissellio *b*), ad

Græ-

Græcam vocem, *μανίαν*, quæ furorem notat ac veſaniam. Tandem in os ejus auro liquefacto infuſo, avaritiam & rapinas exprobrat Romanis. Sed ſicut felix temeritas nunquam invenit modum, ut cum Curtio loquar; ita quoque hac ſeveritate non contentus rex, paullo poſt ad prætores & magiſtratus, per totam Aſiam, literas mittit, jubens, ut omnes Romanos, & quotquot Italici generis erant, uno die interficerent: quod mandatum etiam, triceſima, a datis literis, die, crudeliter exſequebantur, oſtendentes ſe, non tam metu Mithridatis, quam odio Romanorum, tam immania perpetraſſe facinora. At hi crudelitatis ſuæ ſupplicium poſtea luebant, primum ab ipſo Mithridate ſuperbe habiti, deinde a Corn. Sylla, fugatis inde regis præſidiis *c*).

a) *Bongarſ. ad Juſt. lib.* 38. *c.* 3. *b*) *de reip. R. Vet. ort. & occaſ. p.* 762. *c*) *Appian. Alex. cit. p.* 313. *& ſequ. ad* 319. *Biſſel. cit.* §. 5.

§. VIII.

Poſtea rex in Coum pergit, indeque magnas divitias Cleopatræ, Regi-

næ

næ Ægypti, deportat in Pontum. Jam etiam Rhodum occupare cupit, ideoq; magna classe eo pergit; de cujus adventu incolæ certiores facti, fortiter sese præmunierunt. Hic rex duobus præliis navalibus fortissime vincitur a Rhodiis; omnique vi & fraude frustra adhibita, spe sua destitutus, obsidionem tandem solvere cogitur. Jam quoque adveniunt terrestres copiæ ad *Mithridatem* navigantes, quæ, tempestate magna ad Rhodum jactatæ, in hostium venerunt potestatem. Sic neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos, quisquam in hoc bello Rhodiis par fuit *a*). Majorem tamen fortunam experiebatur rex in Græcia; quo ducem suum Archelaum miserat, ut illam, quibuscunque rationibus posset, suæ ditionis faceret. Delum enim, quæ ab Atheniensibus defecerat, armis vincit Archelaus, quorum amicitiam ac societatem ambiens, magnam inde pecuniam ad eos mittit, per Aristionem Athenienſem, multaque castella expugnata potestati eorum subjicit. Aristion quoque tyrannidis exercitio Archе-

chelai fortunam multum auget. Jam etiam Achaja, Misitra & Bœotia Cycladesque insulæ Archelao fidem jurant. Hoc tempore Mithridates, qui plerasque jam curas ducibus commiserat, domum reversus, instrumenta bellica comparat, & novos colligit milites, quorum partem, Methrophane duce, in Græciam navibus mittit, qui dum Euboeam & agros Demetriadis Magnesiæque vastat, quæ civitates regis jugum detrectabant, Brytrius, e Macedonia veniens, navali prælio illum adgreditur, duasq; ejus naves demergit, omnibus, qui in eis erant, occisis. Methrophanes autem cum suis fugam capesſere coactus est; quem cum Bryttius assequi non posset, Sciathum expugnat, prædonum barbarorum receptaculum, quos vario cruciatuum genere afficit. Inde Bœotiam petens, prælium init circa Chæroneam, cum Aristione & Archelao per triduum, ancipite fortuna: sed adventantibus Lacedæmoniorum & Achæorum auxiliis ad Archelaum, imparem se viribus videns, castra movit ad Piræeum, quem paullo post Archelaus occupavit *b*).

a) Vel-

a) *Vellej. Pat. lib. 2. cap. 18.* b) *Appian. Alex. cit. pag. 318. & sequ. ad 324.*

§. IX.

Cum & Italiam jam, ipsamque Romam Mithridatis terror invaserat, necessum erat, ut Sylla, cui Senatus hoc bellum demandaverat, in Græciam pergeret, ad sedandum motus illos tempestuosos; fuit enim huc usque detentus seditionibus domesticis. Itaque huc adventans cum expedita manu militum, collectis pecuniis & commeatu, pluribusque copiis ex Ætolia & Thessalia, Atticam ingreditur, ibique Athenas corona cingit, volens ad deditionem fame compellere incolas: qui tandem adeo laborare cœperunt, ut coria & cadavera carnesque humanas in alimentum vertere sint coacti. Cum autem ne sic quidem se dederent, instigante illos Aristione, & diu in unius urbis obsidione hærere non permitteret amplitudo belli, vi urbem adgreditur Sylla; nec fortuna fefellit conatum: fame enim debilitata præsidia stationes suas confestim relinquunt. Sylla igitur, cum suis intra

tra mœnia irrumpens, urbem replet cædibus, tantaque mali facies erat, ut nulla neque ſexus neque ætatis ratio haberetur, urbsque in prædam concederetur militibus. Ariſtion quoque, qui arcem occupaverat, fame expugnatus, in Syllæ manus venit; qui cum ceteris, magiſtratu aliquo functis, proditionis ſupplicium luit. Sic Athenæ, urbs Græciæ celeberrima, Romani juris iterum facta eſt. Ceterum reſtitit aliquid adhuc majoris operis. Archelaus enim Piræeum, munimentum firmiſſimum tenebat, cujus expugnatio videbatur difficillima. Spe tamen fervens Sylla ultima quæque tentat, adhibendo omnem vim & quasvis machinas bellicas, feſſisque oppugnatoribus recentes ſemper ſufficiendo. Alloquebatur etiam ſuos, jam minis, jam precibus, clamitans, in hoc certamine ſitam omnem victoriam. Pari modo quoque Archelaus ſuos confirmat, nullique operi contra vim hoſtium parcit; cumque Sylla unam muri partem poſt alteram diruit, ille interius novos muros exſtruit, ne Romani ullum finem laboris invenirent.

tent. Multa igitur, ab utraque parte, militaria eduntur facinora, donec tandem, post velitationes, varia fortuna, subinde factas, insana quasi hostium pervicaciâ territus Archelaus, muros deserere, atque in munitissimam Piræei partem, fluctibus undique cinctam, se recipere cogitur. *

* *App. Alex. cit. p. 324. & sequ. ad 333.*

§. X.

Jam & tota fere Bœotia Thebæque, a Mithridate desciscentes, Syllæ sese dederunt. Successit autem illa pestis, quod Macedonia ab Archatia, Mithridatis filio, profligatis inde Romanis præsidiis, occuparetur; qui vero deinde in itinere, quo contra Syllam tendit, gravi morbo afflictus, circa Tidæum moritur. Hujus exercitum statim sibi adjungit Archelaus, qui, a Piræeo tandem discedens, in Thessaliam pergit, novas copias contracturus. Hunc Sylla, incenso funditusque everso Piræeo, illa, qua potest, celeritate insequitur, cui etiam in Phocide occurrit, viribus jam satis instructo; exercitus enim ejus CXXM.

militum constabat, Syllæ vero ne dimidium quidem hostium numerum æquabat. Fit itaque prælium ad Chæroneam, ubi post fortissimum conflictum, Archelao victoria eripitur, toto fere exercitu cæso; ille autem, cum reliquiis, Chalcidem se confert, ingentem suorum cladem anxie secum reputans, nam de tanto exercitu fere XM. tantum superstites erant: in Syllæ autem castris primum non plures, quam XIV. viri, desiderati sunt, ex quibus, cum advesperascceret, duo redierunt. Itaque tropæis Martem Victoriam & Venerem inscripsit Sylla, quod in eo prælio non minus felicitate, quam solertia & potentia, rem bene gesserat. Hujus fortunæ fama dum ad aures Mithridatis pervenit, magnum ei injecit terrorem, quem excipit suspicio de fide amicorum, quos itaque omnes trucidat, cum uxoribus & liberis. Chio quoque per Zenobium occupato, omnes ejus incolas in Pontum transportat. Idem facinus dum & in Ephesios tentat Zenobius, in carcerem ab illis conjectus, misere trucidatur. Illi vero, his cru-

deli-

delitatis exemplis moti, cum aliis quibusdam gentibus a Mithridate deficiunt; quarum plerasque deinceps in partes ſuas fruſtra reducere conatur. Nec tutior hinc ab inſidiis eſt factus, quippe quas nonnulli jam, quibus familiariſſime utebatur, in caput ejus ſubinde intentabant. *

* *App. Alex. cit. pag. 333. & ſeq. ad 342. Plutarch. in Sylla.*

§. XI.

At Syllam, ſenſim per Græciam, victricibus armis progredientem, remorari neceſſarium duxit: itaque Dorylaum, cum ingenti navium apparatu, ad Archelaum mittit, in quibus LXXXM. delectorum militum erant; quibus inſtructum Archelaum ſtatim Sylla excipit apud Orchomenum, caſtraque ſua ex adverſo hoſtium locat: ante concurſum autem armorum, Archelai milites, moræ impatientes, Romanos invadunt, quos Sylla emiſerat, ut foſſas utrinque facerent, in impedimentum ac remoram hoſtium. Hi impugnati fugam ſtatim capeſſunt, quod ubi videret Sylla, ab equo deſiliens,

siliens, & in hostem convolans, dicit: *Mihi quidem, o! Romani milites, hic pulcrum est mori, vos autem cum rogabimini, quonam in loco imperatorem vestrum prodideritis, dicere mementote, in Orchomeno a*). Quibus auditis, reversi sunt fugientes, animumque receperunt ad resistendum. Magna itaque vi utrinque per biduum fere pugnatur: ad ultimum vero Sylla, qui jam satis didicit vincere, triumphum cantat, Diogene Archelai filio totoque fere exercitu cæso; ipse autem dux, ad ultimas angustias redactus, in paludem quandam se abdit, donec, accepta navicula, rursus Chalcidem trajecit *b*).

a) *Plutarch. in Sylla.* *b*) *App. Alex. cit. p. 341. & seq.*

§. XII.

Post hanc victoriam dona militaria distribuit Sylla: deinde, Bœotia direpta, Thessaliam petit, hiemandi gratia, de ulteriore belli apparatu solicitus. Interim C. Cinna & C. Marius, inimici ejus Romæ, hostem eum judicant, atque in bona & amicos ejus crudeliter sæviunt. Præterea mittit

Cinna Flaccum in Asiam, ut pro Sylla bellum hoc gereret, quem secutus est unus e senatoribus, Fimbria, qui deinde, mutua contentione orta, Flaccum interfecit Nicomediæ, ipseque imperatoris munus suscipit, nonnullasque victorias sumit de Mithridate. Postea Cappadociam vexat, Iliumque funditus evertit, crudeliter tractatis incolis. At Mithridates, qui duobus jam præliis tantam fecerat jacturam, ut maximis regni viribus exutus videretur, jubet Archelaum, de pace agere cum Sylla. Nec displicuit hoc Syllæ, propter domesticas turbas, a collegis suis in ipsum motas, ad quas reprimendas, Romam reverti voluit. Conveniunt igitur duces, super hoc negotio, ad mare circa Delum, ubi templum est Apollinis: Syllaque has pacis conditiones proponit, ut Mithridates traderet ei totam suam classem, captivos quoque & transfugas; Chios etiam ceterosque, a sedibus suis in Pontum abstractos, dimitteret; præsidia, omnibus locis hoc bello occupatis, deduceret, impensaque totius belli solveret, atque paterno solo u-

nice esset contentus. Hæ autem conditiones cum non satis æquæ viderentur Archelao, regi suo illas detulit, qui propterea ipse proficiscitur, ad paciscendum cum Sylla, quem convenit in Troadis Dardano. Sed rex, audito sermone Syllæ, in prima ejus postulata consentit, & LXX. naves, cum apparatu & armamentis, Syllæ exhibet, duoque talentorum millia ei pendit, ceteris etiam conditionibus persolutis: atque sic ad regnum paternum revertitur, quod Sylla ei stabiliter asserit, & Populi R. socium ipsum decernit. *

* *App. Alex. cit. p. 343. & seq. ad 353. Plutarch. in Sylla.*

§. XIII.

Sic itaque primum hoc bellum finem obtinuit. Jam Fimbriæ milites, negantes se bellaturos contra socios, ad Syllam deficiunt. Fimbria vero servum suum inducit, ut in Syllæ castra abiens, quasi transfuga, Syllam interficeret: sed ipse carnifex trepidatione sua rem detegit, eamque mox palam confitetur. Hinc Fimbria, tanto magis Romanis odiosus, Athenio, per

con-

contumeliam, omnium ore vocatur: quo nomine aliquando, fugitivorum in Sicilia quidam, paucorum dierum rex fuerat. Itaque Fimbria omni & favoris Syllæ, suæque salutis spe destitutus, Pergamum petit, ibique in templo Æsculapii voluntariam subit mortem. Jam Sylla Curionem jubet, Nicomedem & Ariobarzanem in regna sua reducere, urbesque nonnullas libertate donat, partim in auxiliorum præmium, partim in solatium malorum, quæ in hoc bello sustinuerant, propter fidem Romanis præstitam. Deinde etiam in reliquis urbibus proclamandum curat, ut omnes servi, quos Mithridates in libertate constituerat, rursus servitutis jugo se subjicerent: quod dum multæ civitates contemnunt, variæque deficiunt, magnæ ædes sequuntur, tam servorum, quam ingenuorum hominum, multarumque urbium munimenta diruuntur; quæ autem urbes, hujus factionis participes, sub hasta non venduntur, illis quinquennale tributum imponitur, in ultionem etiam prioris perfidiæ ac crudelitatis, quam sub Mithridatis au-

ſpicio exercuerant. Quod equidem grave erat onus Aſiæ: præſertim cum & piratæ, quos Mithridates, circa initium belli, emiſerat, vehementer eam vexarent, qui non tantum navigantibus, ſed etiam portubus ac oppidis, moleſti erant. Tandem Sylla, Græciæ Aſiæque rebus conſtitutis, cum majore parte copiarum, in Italiam pergit, Murena in Aſia relicto, qui de ceteris rebus ordinaret. *

* *App. Alex. de Bell. Mithr. p. 353. & ſeq. ad 359.*

§. XIV.

Hic non multo poſt, bellum renovabat contra Mithridatem, illam fingens ſibi cauſſam, quod rex, ſub otio, naves & copias compararet bene multas, quibus quamvis uteretur ad Colchos & Bosphoranos, jam ante defectores, in officium redigendos; re ipſa tamen, contra Romanos, illum apparatum factum eſſe credit Murena, idque perſvaſione Archelai, qui, regi ſuo jam ſuſpectus, ad hunc transfugerat. Rem quoque tanto planiorem ſibi judicat, quod nullæ pacis leges erant conſcriptæ; ſed in exſecuti-

cutione fœderis acquievisset Sylla. Qua de re ita Appianus: Καὶ πρέσβεσιν, τῷ Μιθριδάτῃ τὰς συνθήκας προτείνουσιν, οὐκ ἔφη συνθήκας ὁρᾶν· οὐ γὰρ συνεγέγραπτο Σύλλας, ἀλλ' ἔργῳ τὰ λεχθέντα βεβαιώσας ἀπήλλαχτο. * *I. e. Cum legati objicerent fœdera, negavit se videre ulla fœdera: nulla enim Sylla conscripserat, sed executione pactorum contentus, discesserat.*

* *de Bell. Mithrid. pag. 359. & sequ.*

§. XV.

Sic Murena, secundum bellum movens, regni Pontici fines transgreditur: ubi cum nemo ei resisteret, exspectante scilicet rege Romanorum responsa, terram in longum & latum vastat, donec Mithridates, a Romanis rursus illusum se videns, vim vi repellere incipit, Gordiumque ducem suum mittit ad aggrediendum Murenam, ipse quoq; cum majore exercitu secutus, prælium init cum hostibus; eaq; fortuna, ut egregiam statim de illis reportaret victoriam. Postea magnam Cappadociæ partem iterum occupat, & præsidiis communit.

Tan-

Tandem autem, cum cenſeret Sylla, quod Murena injuſtis armis irritaſſet Mithridatem, mittit A. Gabinium, ut Murenæ vim reprimeret, atque amicitiam inter Mithridatem & Ariobarzanem, Cappadociæ regem, conſtitueret: quod etiam eo ſucceſſu factum eſt, ut Mithridates, obſide tradito filio ſuo quadrimulo Ariobarzani, illam partem Cappadociæ obtineret, quam præſidiis occupaverat. Atque ſic intra triennium hoc bellum confectum eſt. Jam autem Mithridates, qui otio frui non didicit, varias ſubigit terras, Romanis non addictas. Murenæ quoque exemplo ſatis edoctus, legatos bis Romam mittit, ad conſcribenda fœdera, ut, contra plura ejusmodi conamina, ſatius eſſet præmunitus. Sed cum Sylla jam obiiſſet, infectis rebus remiſſi ſunt legati. *

* *App. Alex. cit. p. 360. & ſequ. ad 364.*

§. XVI.

Hinc tertii belli cauſſa. Rex enim, pacem infirmo adhuc ſtare talo videns, metuit, ne inde cauſſam belli reno-

renovandi, pro lubitu, Romani fingerent: ut de hoc refert Appianus: Τὰς γενομένας ὁι τελευταίας συνθήκας ἐπέφερεν, ὡς ὐκ ἐτέλεσιν ἀναγράψασθαι, καὶ φυλακὴν ἄυθις ἐπιθέσθαι † i. e. *Post-remum fœdus objicebat, quod ideo nollent scribere, ut renovare bellum, per occasionem, integrum sibi relinquerent.* Nam hærebat suspicio, eos regnum ipsius affectare, si quodammodo id etiam suæ ditionis facere possent.

† *de Bell. Mithrid. pag. 366.*

§. XVII.

Incipit igitur tertium bellum. Dum Mithridates vocat Tigranem, regem Armeniæ, ut Cappadociam invadat; qui statim urbem ibi exstruit, eamque Tigranocertam cognominat. Mithridates autem, ut res tanto felicius sibi cederent, fœdus init cum Sertorio; qui a Senatu R. Hispaniam provinciam obtinens, perfidiam, in Romanos, magnam jam detexit; M. Varium enim, duosque consiliarios, Manium & Fanium, ad Mithridatem, cum magna manu militum misit, quorum auxilio hoc bellum gereret. To-

tus

tus itaque in apparatu est rex, & subsidia undiq; contrahit, adeo ut CXLM. peditum & XVIM. equitum haberet; cui tanto exercitui Taxilem & Hermocratem præficit, atque ita instructus in Paphlagoniam pergit, irritatisque militum animis magniloqua oratione, Bithyniam rursus aggreditur, quam Nicomedes, moriens sine hærede, Romanorum juris testamento fecerat. Hinc Cottam, regionis satrapam, Chalcedonem insequitur, quam urbem etiam invadit, cæsis circiter IVM. Romanorum, in his quoq; L. Manlio senatore: apud Mithridatem vero non plures, quam XX. viri, desiderati sunt. Inde Cyzicum pergit rex; dum interim consul R. Lucullus supervenit, dux belli contra Mithridatem jam factus, atque XXXM. peditum & MDC. equitum instructus. Is Mithridati castra sua opponit circa Cyzicum: ante prælium autem L. Manius, audita Sertorii morte, cujus fœderis, cum Mithridate icti, arbiter erat, Mithridatem Lucullo prodere tentat, eoque rem perducit, ut Rex fere cum omnibus copiis interiisset, si prælii a-

leam

leam subiisset. Ut autem hoc evitaret periculum, simulque famem magnam, qua jam premebatur, Lucullo omnem commeatum intercludente, contra Cyzicum se vertit, illamque omni vi & arte aggreditur, sed frustra: insequebatur enim Lucullus, atque, ut antea, omnia victus necessaria intercepit, unde fames & pestis magna in castris ejus oriebantur; denique instans hiems propositum ejus non parum remorabatur. Ideoque, postquam etiam crebris Cyzicenorum excursionibus ad paucitatem esset redactus, ingenti illa ampliſſimæ gloriæ, egregiæque victoriæ spe destitutus, noctu Cyzico movens, Parium classe contendit, jubetque exercitum, itinere terrestri, citato gradu Lampsacum petere: quem Lucullus insecutus profligat strenue, magna multitudine partim cæsa, partim capta. Superstites autem dum classe deinde Lampsaco abduceret Mithridates, tempestuosum mare ad maximam partem destruxit. Hujus Cyzici obsidionis his verbis meminit Cicero: *Populi Romani laus est, urbem amicissimam Cyzicenorum, Luculli consilio, ex omni impetu regio*

regio, ac totius belli ore & faucibus ereptam esse atque servatam a). Qua de causa honores Lucullo decreti sunt, quos feriis celebrabant Cyziceni, illasque ferias Lucullleas appellabant *b*).

a) *Orat. pro Arch. Poët. cap. 9. c*) *App. Alex. cit. p. 364. & seq. ad 373. Plutarch. in Lucullo.*

§. XVIII.

Hoc tempore Eumachus, Mihridatis dux, Phrygiam vastat, multosq; Romanorum, sine discrimine sexus, necat: Pisidas quoque, Isauros & Ciliciam subjugat, donec tandem a Dejotaro, Gallograeciæ tetrarcha, cum magna clade est repressus. Postea Lucullus varias urbes occupat, inter quas etiam Amisum & Euparoriam, quam posteriorem Mithridates conditam a se denominavit, regiamque fecit; hanc postea Pompejus, nomini suo consecratam, Magnopolim appellavit. Vario quoque jam, Sertoriano duci, & sociis ejus, Alexandro ac Dionysio, circa Lemnum supervenit Lucullus, quos, e spelunca quadam productos, capit: Varium pœna capitis

pitis plectit; Alexandrum in ferias triumphales ſervat; Dionyſius vero ipſe veneno vitam ſibi adimit. Mithridates autem, amiſſis in tempeſtate, ſub navigatione ad Pontum, circiter XM. militum, & LX. navibus, nova jam undique contrahit auxilia. Diocles vero, quem, ejus rei gratia, in Scythiam, magna cum pecunia, miſerat, Lucullo ſe tradit, in magnum Romanorum emolumentum. Nec deſtitit tamen rex vires colligere, Cabiris jam hibernans, donec exercitum, peditum XLM. & equitum IVM. conſtantem, habebat. Hunc itaque exercitum, optime inſtructum, inſtante vere, quærit Lucullus Cabiris; quo antequam pervenit, rex de Pomponio, equitum R. præfecto, egregiam facit victoriam, ipſumque ducem capit; unde magnus pavor Luculli invaſit exercitum. Dum autem rex mittit, ad irrumpendum in manum Luculli, quæ commeatum exercitui adferret, aliam experitur fortunam: pauci enim nocturna fuga redeunt in caſtra, ceteris, ut credebat, omnibus deletis. Nec minor jam metus apud Mithridatem exſtitit; itaque ne Lucul-

lus inopinato ſibi ſuperveniret, in Cappadociam pergit, a Tigrane petens hoſpitium; magnaque fit confuſio militum, adeo ut in diverſas vias fugam intenderent, nec ullus ad nutum monentium eſſet intentus. Inſequebantur autem a tergo Romani, & celeritate præſtantes, regem ipſum capere potuiſſent, ni cæca militum avaritia hoſti fugæ locum dediſſet, & Lucullum ipſum digna victoria privaſſet. Milites enim, ad diripiendum aurum certatim intenti, ab inſectatione ſubinde impediebantur. *

* *App. Alex. cit. p. 372. & ſequ. ad 380. it. 415. Plut. in Lucullo.* §. XIX.

At rex, derelictum ſe a fortuna jam credens, in crudelitatis mores incidit, ut in deſperatione ſæpe fieri ſolet: Bacchum enim eunuchum mittit in regiam ſuam, ad uxores, ſorores & concubinas ſuas interficiendas, quæ, his auditis, vario modo ipſæ ſibi vitæ filum abſcindunt. Cumque præfecti regii audirent, deſperare jam Mithridatem de regno, Lucullo ſe plerique dederunt. Is autem, rebus ubique conſtitutis, variisque oppidis, ad mare, captis, relinquit ibi Fabium, cum par-

parte copiarum, & inde in Cappadociam pergit. Jam etiam Lucullus cum Machare, Mithridatis filio, regeque Bosphori, amicitiam ac societatem facit, accepta ab illo, in signum fidei, corona aurea. Cum autem audiret Tigranes adventare Lucullum, coactis CCLM. peditum & LM. equitum, cum Lucullo in pugnam descendit, sed mala fortuna: amissis enim plerisq; , cum castris opulentissimis, fuga se eripere cogitur, dum filio suo, avulsum e capite diadema, lacrimans tradit, monetque, per aliam viam fugam intendere, atque saluti suæ prospicere. At ille, indignum ratus, religari sibi diadema, superstite patre, fidelissimo cuidam ex suis custodiendum committit, qui mox fuga interceptus, & ad Lucullum adductus, diadema ad pedes ejus deponit. Hujus pugnæ meminit Livius, Romanos, dicens, nullis unquam hostibus, quibus cum signa contulerint, copiarum numero usque adeo fuisse inferiores; vix enim vigesimam partem eorum, qui victi sunt, exstitisse victores. Jam & ipsa metropolis Tigranocerta, magnis referta opibus, per proditionem cedit

Romanis. Nec tamen negligunt Mithridates & Tigranes milites de novo colligere, atque in aciem contra Lucullum rursus progredi, cum LXXM. peditum, & XXXM. equitum, sed ante concursum armorum, fame utrinque coacti sunt pedem removere; Tigrane sic in Armeniam, Mithridate vero in Pontum abeuntibus. Hic, fines suos ingressus, prælium init cum Luculli præsidiis, tandemque, subveniente licet Triario, cum nova Romanorum cohorte, tantam hostibus infert cladem, quantam in nullo alio hujus belli conflictu experti erant Romani, nam supra VIIM. militum cæsi sunt, XXIV. tribuni & CL. centuriones.*

* *App. Alex. cit. p. 379. & sequ. ad 387.*

§. XX.

Hoc tempore Luculli fortuna valde collabi cœpit, qua insolenter admodum utebatur: id inprimis plurimum ei obfuit, quod eorum, qui in exercitu magistratum gerebant, quanti par fuit, neminem faceret, sed neglectis omnibus, & nimis superbe habitis, nullum secum conferendum esse arbitraretur; quibus rebus invidia & odio plenos animos omnium in

in ſemet irritabat. Harum rerum etiam accuſabatur in ſenatu R., ſimulque quod bellum diutius, quam par erat, produceret, nec ſtrenue hoſtem perſequeretur: quam ob cauſſam ab exercitu dimittitur, ex ſenatus conſulto, atque in ejus locum Cn. Pompejus ſubſtituitur, breviore tempore bellum confecturus. Tum Lucullus, præda onuſtus, domum regreditur, Romamque triumphali pompa, ut Romanis mos erat, vult intrare; quod quamvis primum ipſi negatum ſit a P. R., egre tamen, ex primorum perſvaſione, quibus Luculli dignitas erat cara, omnium ore ei eſt conceſſum. Interea vero temporis, dum Pompejus occupatur in repurgatione maris a piratis, qui illud hoc bello repleverant, regiones maritimas, ut ante dixmus, ſubinde infeſtantes; Mithridates occaſionem nactus, ſibi melius proſpiciendi, rurſus Cappadociam occupat, & paternum regnum jam valde debilitatum, ſumma diligentia communit.*

* App. Alex. cit. p. 387, & ſeq. Plutarch. in Lucullo.

§. XXI

Amicissime

Dn. PORTUAN.

QUi trahis a portu nomen mihi dulce quieto,
Tutus & in curis qui mihi portus eras;
Dum placido portu, Mithridatica cāstra, relicto,
Nunc Te, per Ponti regna, videre juvat.
Ut ventis pandas, opto, tua vela secundis,
Et repetat portum læta carina suum!

Wäsehärad d.
31. Oct. 1726. S. HÖGMURK.

Ad AUCTOREM

BEllorum furias in portu pingere pacis,
Doctæ in utroque manet Palladis illud opus.

L. NORIN.

Amico singulari,

Dissertationis,

De

BELLO MITHRIDATICO,

AUCTORI

pereximio.

HEroas belli quæ vis tot adire labo-
res
Impulerit, mente & temnere fata
sua:
Juli an verus amor, spes aut incerta
triumphi
Fecerit, an lauri, gloria magna, de-
cus;
Solerti ingenio, nobis dum tradis, a-
mice;
Ipsa Tibi virtus præmia larga parat.

Ita gratulátur

C. S. HEDMUN.

Eruditissime *Dissertationis hujus* Domine AUCTOR!

Summum profecto erectioris animi indicium est, si adolescens, Musis addictus, eos, qui eruditionis morumque laude inclaruerunt, admiratione & observantia non solum prosequatur; sed eorum etiam virtutem imitando, illis similem se reddere studeat. Etenim bonæ indolis est, magna adpetere; generosæ vero, ea quæ adpetiit, in usus suos vertere. Quocirca id non minimum momenti laudibus tuis, Ornatissime Domine Respondens, addet, quod inter varias gravesque fatorum acerbitates, majorum tuorum vestigia premere, & ad honesta quævis eniti sedulo adlaboraveris: quod egregio documento, Specimen hocce publicum evidenter satis comprobat. Quo nomine Tibi insignibusque, quos in literarum studiis fecisti, progressibus adplaudo, eamque, quam illi olim Tibi promittunt, fortunam ex animo Tibi gratulor. Faxit Deus O. M. ut prospere semper Tibi cedant conatus tui, præmiaque aliquando nanciscaris, labore tuo dignissima.

T. T.

P. D.

Pereximio atque Politissimo

Dn. LAURENT. PORTUAN,

Populari & amico integerrimo.

Fortem virum res arduas plenasque laborum maxime condecorare, quis dubitet? Quis & inficias ibit, eum re- ſta, ad verum decus & gloriam, via- dere, ſi ſimul ſe juſtitiæ ac pacis ıhtem præſtet; ſi bellum, non niſi ıria laceſſitus, captet? Quæ autem ura, quæ fœdera, quæ denique belli cauſſæ, in bello Romanorum, cum Mithridate geſto, potiſſimum ſint ob- ſervatæ, hæcce Diſſertatio tua, Amice, egregie commonſtrat. Id ipſum au- tem ſingulari tuæ, in rebus optimis, diligentiæ deberi novimus, quibus Te totum conſecraſti, in quibus etiam progreſſus feciſti prorſus non pœni- tendos. Precor itaque, ut Tibi pro- ſpera cuncta accedant, Tuque poſt aſ- ſiduos ad Lyceum noſtrum labores, brabeum ſtudiorum reportes optimum!

Wikſid d. 5. Nov. 1726. gratulabundus ſcripſit

DANIEL QVIST.

Fil.

Til sin trogna INFORMATOR.

Wi fält å bra Soldater
Wärde mer än mång' ducater;
The som kunna tappert stå/
När thet gäller något på.
I/ som hår til KRIG bereder/
Och med MITHRIDATES Eder
Wågar til at gå i fält/
För ehrt swärd wid Pallas tält:
Wisar at man KRIG bör dyrka
Mer af skiäl/ än macht och styrka:
Goda å wäl begge twå/
Men thet förra måste rå.
Som I så ehrt KRIG mänd' föra/
Hoppas jag/ man får ock höra/
At I blir med heder krönt/
Och ehr möda wäl belönt.

G. LUNDSTEDT.

EIDEM.

Quo minus & ego, hac occasione, gaudium meum silentio plane involvam, eximius ille, quo me prosequi soles, amor, & pietatis officium, Præceptori optimo debitum, prohibet. Verum gratulabundum animum, per ingenii mei tenuitatem, multis exprimere non licet. Voveo itaq; ; Det Deus O. M. prosperos, conatibus tuis successus, ut quæ virtutis ac literarum cultores manent, præmia assequaris uberrima!

C. LUNDSTEDT.

Q. V. B.

De

3.

AGRO SICHÆI

DISSERTATIO PHILOSOPHICA;

Quam,

Consentiente illustris Academ. Upsal.

Amplis. Senatu Philosophico,

Sub PRÆSIDIO

VIRI CELEBERRIMI

Dn. JOHANNIS WERWORDER,

Eloqu. & Polit. Prof. Reg. & Skytt.

h. t. Decani Spectabilis,

Pro solitis in Philosophia Honoribus,

In Aud. Carol. Maj. d. IX. Maji MDCCXXII,

horis ante meridiem consuetis,

Publico bonorum examini modeste submittit

SÆ RÆ. M.TIS Alumnus

MAGNUS P. HELSTENIUS

VEST-GOTHUS

UPSALIÆ, literis WERNERIANIS.

Maxime Rever. atque Amplisſime

DN. ERICE BENZELI,

S. S. Theol. DOCT. & Academ. Upſal. BIBLIOTHECARIE celeberrime, PASTOR in Hageby & Ramſtad laudatiſſ. Patrone, ſubmiſſa mentis veneratione ætatem colende.

Ampliſſime atque Celeberrime D:ne

MAG. PETRE SCHYLBERG,

Poëſ. PROFESS. Reg. & Ordin. Patrone, omni animi obſervantia jugiter devenerande.

Admod. Rever. atq; Præclariſſ. D:ne

MAG. ERICE MONTHELI,

PASTOR & PRÆPOS. in Söderbärcke optime merite, Euergeta, venerabunda mente ſuſpiciende.

VEſtris pro meritis, ingenti proque favore,
Muneris en inſtar mens pia ſemper erit:
Tentarem juſtas nam ſi perſolvere grates,
Impar res fieret viribus illa meis.
Cetera cum deſint, Vobis quæ ferre volebam,
Vos, Decus Aonidum, noſtra Camena colet.
Pignora ſint noſtræ ſubmiſſæ vera, Patroni,
Quæ ſiſto, mentis, ſupplice voce rogo.

MAXIME REVER. CELEBERR. ATQU

obſervantiſſim

MAGNU

Maxime Rever. atque Amplissime

DN. JOANNES STEUCHI,

S. S. Theol. DOCT. & Philos. Theor.
PROFESS. celeberrime, PASTOR in
Nds dignissime, Patrone, omni reve-
rentiæ cultu æternum prosequende.

Amplissime atque Celeberrime

DN: JOHANNES HERMANSSON/

Eloq. & Polit. PROFESS. Reg. & Skytt.
Facult. Philos. h. t. Decane Spectabilis,
Patrone, omni honoris cultu semper devenerande.

Admod. Rever. atque Præclariss. D:ne

MAG. HARALDE ULLENI,

PASTOR & PRÆPOS. in Timeleb vigilantissime,
Fautor & Benefactor æstumatissime.

Magnis pro meritis sunt sane munera parva,
Nec cuivis possunt illa placere viro;
Assidue vestro cultori sed faveatis,
Ut bene cœpistis, ter celebresque Viri.
Quod superest, visis, felices, Nestoris annis,
Visite cœlicolæ regna beata poli.

PRÆCLARISS. NOMINUM VESTRORUM

cultor

HELSTENIUS.

Til Bruks-PATRONEN,
Adel och Högachtad
Hr. ABRAHAM ROBSAHM,
Min Högtärade Gynnare.

WAckert gods och rika häfwor/
Dygdens fruchter/ Himlens gåfwor/
Mycken nytto i ett land
Ha/ når the rätt läggas an.
Kunna ock stor skada giöra
Genom mißbruk/ och så föra
Mången tit/ han aldrig tänckt/
Att han ser sig der af kränckt.
Theße bladen sådant drifwa:
Eder til att samma skrifwa/
Herr Patron, är plichtig jag:
Se them an med wälbehag.
Eder gunst och godhet prisa/
Som J mig behagat wisa/
Kan jag intet/ fast jag wil/
Som sig bör/ nu hinna til.
Lofwar/ med ett wördsamt sinne
Altid hafwa them i minne
Skola wara mitt begiär;
Såsom jag ock stadigt är

Adle och Högachtad Herr Bruks-
PATRONENS
hörsammaste tienare
M. H.

I. N. S. S. T.

§. I.

DYgmalionis, Tyriorum regis, soror erat Dido, proprio nomine Elissa dicta, quam uxorem duxit Sichæus, Herculis sacerdos, qui aliis Sicharbas, Acerbas aliis, aliis Acervas appellatus, dignitate regi proximus fuit. Hic, ut Virgilius canit, erat,

- - - *ditissimus agri*,

hoc est, opibus inter Phœnices maxime abundabat. Quamvis enim Poëta, hunc agrorum modo divitem fuisse, primo intuitu innuere videatur; dubitandum ta-

men non eſt, magnum eum auri argentique pondus, magnasque, diſſimulatas licet, habuiſſe diviti-as; quas, metu regis, non tectis, ſed terræ crediderat. Ut enim mos fuit, ab ultima hominum me-moria uſitatus, pretioſiſſimas res, ſecuritatis cauſſa, deponendi in templis & fanis; ita non noſtris temporibus, quaſi novum inven-tum, tribuenda eſt ratio defodien-di facultates, metu in primis hoſti-um; ſed remotiſſimis retro ſeculis. Nam experti etjam ſunt ſuo damno antiqui, adeo difficile eſſe, ſi non difficilius, adverſus inſidiatores di-vitiarum, opes poſſe tueri, ac eas comparare; ideoque circumſpecti varias excogitarunt rationes, ſe-cure retinendi theſauros ſuos; nul-la autem tam certa inventa eſt, quin auferri potuerint, ut non ra-ro ablati ſunt. Licet enim homi-nes communiter rem ejusmodi i-gnorarint, fama tamen locuta eſt; qua

qua incensi opum cupidi, nihil non tentarunt, atque moliti sunt, ut caras ad se corradere potuerint divitias. His non raro irritati sunt, hodieque irritantur liberi, ad discordias cum parentibus: ob has oriuntur jurgia & contentiones, inter affines & consangvineos: ob has fiunt furta, deprædationes & latrocinia: ob has denique amicitiæ dirimuntur, violantur sepulcra, templa spoliantur: hæ principes ad internecina odia excitant: hæ jucundissimam reipublicæ pacem turbant, atque ad bellum incitant: hæ ad horrendas cædes allicfunt, ut vel innocentissimo sint exitio. Vere itaque Poëta *b*):

- - Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

a) Libr. I. Æneid. v. 347. b) Libr. III. Æneid. v. 56.

§. II.

Inter alios, quibus opes mortem accelerarunt, non quidem per se, sed

sed per aliorum nequitiam, infelix fuit Sichæus. Avarus enim Pygmalion, immodica divitiarum ejus cupiditate accensus, eum, licet affinis & avunculus esset, sine ulla necessitate, sine respectu fidei & caritatis in sororem, clam ante aras, ut thesauros ejus arriperet, inhumaniter occidit. Verum magno suo excidit voto: Elissa enim fratrem dolo aggressa, dissimulato in eum odio, mitigatoque interim vultu, fugam tacito est molita: fingendo se ad eum migraturam, ne amplius sibi, cupidæ oblivionis, interfecti mariti domus gravem luctus imaginem renovaret, aut amara admonitio oculis suis occurreret. Hæc sororis verba cum non invitus audiret Pygmalion, existimans, cum ea & aurum Acerbæ ad se venturum, ei ministros migrationis misit. Hos, omnibus opibus suis in naves impositis, Dido in altum provecta, onera arenæ, pro

pecunia involucris involuta, in ma-
re dejicere compulit, & deflens,
lugubrique voce Acerbam ciens, o-
ravit, opes ſuas libens acciperet,
quas reliquerat, haberetque infe-
rias, quas habuerat cauſſam mor-
tis. Miniſtros poſtea aggreſſa, ſibi
dixit quidem optatam olim mor-
tem; ſed illis acerbos cruciatus, &
dira ſupplicia imminere, qui Acer-
bæ opes, ob quas rex parricidium
fecerat, avaritiæ tyranni ſubtraxe-
rant. Ingenti itaque metu omni-
bus injecto, fugæ comites eos, cum
quibusdam principibus, magno in
regem odio motis, Eliſſa accepit,
primoque, patria relicta, Cyprum
acceſſit. Poſt longam deinde na-
vigationem, in ſinum Africæ de-
lata eſt, ubi theſauris occiſi mariti
Carthaginem, Romani imperii æ-
mulam, ædificaſſe fertur. Hujus
opes cum ſucceſſu rerum florerent,
rex Maxitanorum (vulgo Maurita-
norum) Hiarbas, decem Poeno-

rum principibus ad se vocatis, nuptias Elissæ, sub belli denuntiatione petivit. Has ea simulans, multis hostiis, velut viro Acerbæ, ante festum nuptiale, missura esset inferias, cæsis, pyram, in ultima parte urbis exstructam, sumto gladio conscendit; quo præfata se, ut populus præceperat, ad virum ituram, vitam finivit, uti hæc prolixius tradit Justinus *c*).

c) Libr. XVIII. cap. 4, 5, & 6. vide sis Hybner. in parte I. Polit. Quæst. p. m. 325. Liv. Epit. Libr. XXXIV. c. 61. & Flor. Libr. II. c. 15.

§. III.

Expositis sic quam breviſſime infelicibus Sichæi, ob thesauros, fatis; per cujus agrum, ut innuimus, cum opes sint intelligendæ, vitio mihi non versum iri spero, si nonnulla attulero, quæ ad divitias in genere spectare videantur, commoda earum considerando atque incommoda. Sunt autem de illis varia

varia variorum judicia. Nonnulli enim tantis efferunt opes laudibus, ut præcipuam in illis vitæ felicitatem consistere, easque nihil non efficere posse credant: unde Horatius, ex avari judicio, canit *d*):

Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etjam, & rex,
Et quidquid volet.

Alii eas ita vituperant, ut tanquam omnium vitiorum instrumenta, & quævis damna afferentes, maxime fugiendas esse ducant. Hinc Maximus Tyrius *e*): *Opes*, inquit, *petis; Noli Deos obtundere: nihil boni petis.* Et Lycurgus, apud Spartiatas, vetuit liberos homines quidquam attingere, quod circa rem pecuniariam versaretur *f*). Quidam vero nec laudandas, nec vituperandas illas esse existimant; sed ex usu & ab-

uſu æſtimandas. Inter hos ſunt Cenſorinus & Seneca. Is ſic loquitur: *g) Sapientum diſciplina formatus, ſatis liquido comperiſti, hujusmodi divitiarum munera, ſita in lubrico, bona malave per ſe non eſſe, ſed τῶν μέσων, bonorum malorumve medio cenſeri.* Hic vero ita differit: *h) Divitias nego bonum eſſe; nam ſi eſſent, bonos facerent. Nunc quoniam, quod apud malos deprehenditur, dici bonum non poteſt; hoc illis nomen nego. Ceterum & habendas eſſe, & utiles & magna commoda adferentes, fateor.* De ſingulis diſſerendi, in ſequentibus dabitur occaſio, conſiderata prius vocis etymologia. De hac autem inter eruditos non convenit. Ambroſii ſententia eſt, divitias exinde dici, quod *mentem dividant, atque in diverſum ſcindant, nec ſinant incorruptam eſſe & integram i*). Cornelius Frontonis *k*) exiſtimat divitem, unde divitiæ, a facultate *dividendi* appellari, ut locuples a copia lo-

locorum, & opulentus ab opibus dicitur. Isidorus *l*) vero divitem putat vocari, quasi *diu vescentem*, vel cui *diu æs* est. Varroni *m*) autem dives dicitur, quasi *divus*, cum is, ut deus quidam, nulla re indigere videatur; unde Plautus: *n*)

Dei divites sunt: Deos decet opulentia.

Quæ postrema derivandi ratio ceteris vero similior videtur. *o*]

d) *Lib. II. sermon. Satyr. 3. e*) *Diss. XXX. f*) *Xenophon de Republ. Lacedæm. g*) *de Die Nat. c. I. h*) *de vita beata c. XXIV. i*) *Lib. II. Tom. I. c. 8. de Abrah. k*) *in Origin. l*) *Lib. X. m*) *Lib. IV. de L. L. 17. n*) *in Trinummum. o*) *conf. Lex. Etym. Vossii.*

§. IV.

Verbo indicasse sufficiat, expensis jam qualitercunque vocis natalibus, non in significatione impropria, nos heic accipere nomen divitiarum, pro bonis spiritualibus, ut in sacris literis, & scriptis Patrum, interdum illud sumi solet: nec pro bonis animi, ut sunt virtutes, nec corporis, ut bona valetudo:

nec denique pro ſolis pecuniis, ut vulgo ſumi ſolet; ſed in ſenſu proprio, & in genere, pro bonis fortunæ. Hæc ut alia ſunt naturalia, alia artificialia; ita conſiſtunt vel in agris, pecoribus aut ſervis, vel in regionibus, prædiis, ædificiis, navibus, ſplendida ſupellectili aliisve id genus, vel in auro & argento, tam ſignato, quam non ſignato, aliove metallo, aut pretioſis lapidibus, ut cetera taceamus genera divitiarum. Synonyma harum varia occurrunt, ut ſunt: facultates, opulentia, theſaurus, magna pecunia, amplæ fortunæ, rerum copia, affluentia, abundantia, opes. Hæ cum ſua natura, atque in ſe, licet non moraliter, ſint bonæ, ſi obveniant, nemo ſanæ mentis eas rejiciat; ſed grato potius animo, ut dona Dei, fructusque laborum accipiat *p*]. Nam *ſicut Sapiens nullum denarium, intra limen ſuum admittet male intrantem; ita & magnas*

quas opes, munus fortunæ fructumque virtutis, non repudiabit, nec excludet, ut verba Seneçæ noſtra faciamus *q*]. Er quam ob rem reſpuet? cum a Deo in ſe non prohibeantur, & poſſederint eas viri pietate ſpectatiſſimi, David, Salomon, Jobus, Abrahamus, Jacobus, Iſaacus, alii, nec propterea ſummo Numini diſplicuerint. Honeſtas enim divitias non prohibuit Deus, ſed injuſtas & inſatiabiles; quæ tanquam pharmaca non recte adhibita aut uſurpata, maxime nocent: unde tamen non concludi debet, opes in ſe eſſe noxias; ſunt enim dona Dei, quæ omnino boni nomen merentur. Varia itaque licet facultatibus tribuantur vitia, re tamen accuratius perpenſa, nulla ipſis inſunt crimina; ſed hominibus, ſordido & intolerabili quæſtu, alieno ſangvine, & quavis injuria eas corradentibus, & male uſurpantibus. Poſſunt enim mortales, ut aliis rebus in ſe bonis, ita etjam divitiis, bene aut

aut male uti, easque, pro lubitu, virtutum vitiorumque instrumenta habere. Unde Ambrosius: r) *Discant*, inquit, *divites, non in facultatibus crimen bærere; sed in bis, qui uti nesciunt facultatibus. Nam divitiæ, ut impedimenta improbis, ita bonis adjumenta sunt virtutis.* Imo, multa in vita humana præstant commoda, dum a bonis & cordatis possidentur; qui illas non in animum, sed in domum recipiunt: qui non sunt mancipia earum, sed illis imperant: quique in honestos & pios usus eas impendunt, atque ex recta & probabili causa, liberalitatem ac beneficentiam exercent; in hac enim potissimus est earum usus.

p) *Vid. Prov. X. 22. XXII. 2. 1. Sam. II. 7. Psalm. XVII. 14. Job. I. 10. 21. XLII. 12.* q) *De Vita beata cap. XXIII.* r) *in Luc. cap. XIX.*

§. V.

Diximus opes, in hac vita, multa præstare commoda: aliqua ho-

horum recenſeam oportet. Ut vero in omnibus noſtris & dictis & actionibus, Divini Nominis gloriam reſpicere, eamque pro cynoſura habere debemus; ita illud apprime convenit in uſu divitiarum. Inſerviunt autem hæ promovendæ gloriæ Dei, in vero ejus cultu, verbique divini miniſterio defendendo & conſervando: in captivis e miſeris eorum carceribus liberandis: in ſcholis, gymnaſiis, Academiis & templis, quæ vel nunquam exſtructa fuerunt, vel ab hoſtibus ſpoliata & diruta, vel incendio aliove infortunio læſa, dilapſa, aut ſolo prorſus æquata, ædificandis, reficiendis & exornandis, atq; indefeſſam in illis navantibus operam ſuppeditando, quæ ſint neceſſaria. Sunt enim opes, hoc reſpectu, nullius propriæ, ſed a clementiſſimo Numine mutuo datæ; quid ergo convenientius, quam erga illud gratum declarare animum, atque

que

que munera hæc ad eos uſus conferre, qui eidem bene placeant, & nobis aliisque proſint? Utiles porro ſunt divitiæ, ad eleemoſynas erogandas, ſuſtentandos egenos, honeſtarum artium, atque ſcientiarum diſcendarum, ſtudio flagrantibus, quorum inopia obſtat conatibus, ſtipem conferendam, atque quavis ratione oppreſſos ſublevandos. Suadet hoc officium humani generis ſocietas, præcipiunt divina oracula, jubet humana natura. Non enim datæ ſunt facultates, ad propria cujusvis commoda tantum promovenda, ſed illis quoque ſubveniendum, qui alieno opus habent auxilio. Unde Chryſoſtomus *s*]. *Non ad hoc*, inquit, *accepiſti, ut in delicias abſumeres; ſed ut in eleemoſynam erogares. Numquid enim tua poſſides? Res pauperum tibi ſunt creditæ, ſive ex laboribus juſtis, ſive ex hereditate paterna poſſideas.* Et Lactantius, qui hunc

in

in modum egregie loquitur: *Hic divitiarum maximus & verissimus est fructus, non uti opibus, ad propriam unius voluptatem, sed ad multorum salutem: non ad præsentem suum fructum, sed ad justitiam, quæ sola non interit.* Atque hujus qui immemor est, non recte facultatibus utitur, nec dominus earum dici potest, sed famulus potius aliena custodiens. Non enim fruitur illis tanquam suis, sed alius velut depositum, quod integrum restituendum esset, servare videtur *u*].

s) Homil. XXIII. ad Popul. Antioch. t) Lib. VI. Instit. cap. 12. u) Videsis Ambros. de Nabuthe cap. XV.

§. VI.

Ad virtutem & felicitatem comparandam, plurimum certe confert, bona a primis annis liberorum institutio; unde tota fere reliqua vita dependet. Ut enim ager, si bonarum frugum fertilis erit, diligenti cura & industria, ad sementem præ-

præparandus eſt; ita etjam ingenii noſtri ager, magna cura coli, atque probe inſtitui debet, ut meliorem uberioremque fructum ferat. Verum ſummo non raro impedimento eſt dira egeſtas rectæ ejus culturæ, probæque liberorum educationi: deſtituta quoque eſt facultatibus eam inſtituendi; quibus ut divites gaudent, nemo inficias ibit, eas, ſi recte collocaverint, non modo probam educationem promovere, & acquirendæ eruditionis inſtrumenta eſſe, quapropter & Suidæ *u*) ἐφόδιον παιδείας, *viaticum eruditionis*, appellantur; ſed variis quoque diſcendis artibus & diſciplinis inſervire. Nemo enim, ut ut ſubacto ſit judicio, quamvis præpolleat ingenio, propria induſtria, ad illam ἀκμὴν, ad quam artes & ſcientiæ dudum aſcenderunt, ſine ſumtu, & facultatibus neceſſariis, pervenire poterit. Propterea, qui affluit opibus, quique diſciplinæ capax

pax

pax eſt, & ſtrenuam adhibet operam, citius, quam egenus, non modo inſignes progreſſus facere, in arte aut ſcientia addiſcenda, ſed longe etiam excellere poteſt, ut ſatis ſuperque quotidiana oſtendit experientia. Huc ſpectant divitiarum commoda conciliandi dignitates. Non intelligo autem pravam iſtam conſuetudinem, largitionibus honores ambiendi; ſed prærogativam divitum, præ egenis, bene excolendi ingenia ſua, multa diſcendi, atque variarum rerum experientiam, peregrinationibus aliisque honeſtis modis, ſibi acquirendi, quibus, præſuppoſita probitate & virtute, habiliores officiis, atque præclaris muneribus digniores fieri poſſunt opulenti. Præterea, cum divites patriæ excidio plus perdant, quam pauperes, amantiores quoque ejus eſſe ſolent, ideoque magiſtratus officium tutius eis committi poſſe,

ſunt qui exiſtimant. Nam non tantum facultates eorum, loco pignoris, fidei & amoris in rempublicam ſunt; ſed perſpecta prudentia privatis rebus bene conſulendi; unde eos publicis quoque rectè proſpecturos judicamus. Parit inſuper inopia contemtum, qui magiſtratui valde eſt periculoſus: quapropter Phormio Athenienſis claſſis imperium recuſavit, dicendo, ſe obæratum, non ſatis auctoritatis apud milites habiturum x). Parit illa quoque ſuſpicionem, manum alienis rebus injiciendi; hinc Horatius:

Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere pati,
Virtutisque viam deſerit arduæ y);

eo enim multos egeſtas compellit, ut munera capiantur, quæ *ſapientum oculos obcæcant, & verba juſtorum ſubvertunt z).* Parit denique apud multos agendi dicendique timiditatem: ut inops officio fungens,

gens; ad evitandum potentiorum odium, de jure suo remittat. Arcę has ob causas, divites muneribus præponuntur præ egenis: qui licet non prorsus ab illis excludendi sint, verum tamen est illud Juvenalis *a*):

Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angustæ domi.

Verumtamen, utut de his sit, non absolute hæc adserta volumus: nam etiam ad hæc modicæ opes sufficere possunt: & sæpe longe melior disciplina, etiam apud ipsos magistratus, paupertate magistra stetit, quam in summa rerum omnium affluentia. In adversa quoque valetudine tantus opum est usus, ut multi morbo affecti, exinde, quod ob inopiam eidem occurrere non potuerint, inciderint in graviorem, atque perierint; ut nihil dicam, de honesta & necessaria familiæ sustentatione, de indulgenti æris alieni solutione, prō dignis cognatis & a-

micis, de commodis in aliis rebus-publicis habendi miniſtros, qui ſpeculentur atque ea tractent, quæ ſuis civitatibus uſui ſint, hoſpitaliter accipiendi, munifice habendi legatos, atque juſtis poſſeſſiones, respublicas & regna ampliandi rationibus; quibus omnibus copiam rerum inſervire poſſe, nemo non videt.

v) pag. 1110. x) Pauſanias in Atticis. y) Lib. III. Carm. Od. 24. z) Deut. XVI. 19. a) Satyr. III. 164.

§. VII.

Eſſet quidem humanæ naturæ maxime conveniens, in perpetua pace & tranquillitate vivere; verum cum dentur non pauci, qui variis delectantur inferendis injuriis, & viliſſimas ſæpe ob cauſſas, bellis alios aggrediuntur, fruſtra aliis tentatis viis, illata vis & injuria vi eſt propulſanda. *Nam & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præ-*

præscripsit, ut omnem semper vim, a corpore, a capite, a vita propulsent b). Nequit autem hoc fieri (loquor de bello contra potentem hostem gerendo) sine magno sumtu. Nam ut aves sine alis volare nequeunt; sic nec bellum, sine re nummaria, geri potest; ædificandæ enim sunt classes, portus parandi, mœnia & propugnacula erigenda, exercitus comparandi & sustentandi, atque arma acquirenda, quæ sumtibus & expensis fiunt efficacia; nam testatur experientia exemplis firmata, ære deficiente, arma vel prorsus abjici, vel saltem frigide tractari, leges silere, disciplinam militarem contemni. Quivis itaque videt, opes non tantum huic negotio esse utiles, sed & maxime necessarias. De cetero, per mores corruptos seculi, adeo fortes dejiciendorum castellorum illæ machinæ sunt, ut Cicero nihil tam munitum esse dicat, quod non his ex-

pugnari queat c). Illæ quoque sunt rerum gerendarum nervi, quibus princeps se suosque cives, divina favente gratia, defendere, quæ sua sunt, retinere, & desideratam pacem, propter quam bellum geritur, reconciliare possit.

b) Cicer. in orat. pro T. Annio Milone, cap. XI. c) in Verr. c. 2.

§. VIII.

Manifestum est, nullam terram adeo fœcundam esse, ut omnibus sufficiat necessitatibus, nec adeo sterilem, quin nonnullis gaudeat, quibus non indigeat. Alia itaque civitas alius mutuam poscit operam, quæ mercatura optime haberi potest. Hæc quam necessaria, quamque variis periculis multisque infortuniis obnoxia, tam utiles quoque sunt opes illi exercendæ, hisque ita ferendis, ut commercia jugiter florere queant. Sed dicis, mercaturam non esse reipublicæ uti-

utilem, quod varia invehat superflua, multisque laboret vitiis, atque faciat, egeamus multis, quæ antea prorsus ignota erant. Verum nihil adeo prodest, quin idem etjam nocere possit.

Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Cœperit, audaces instruit igne manus d).

Et bono ingenio quid præstantius nobis dari potuit? si vero quis eo abutatur, maxime illud est noxium. Sic licet mercatura suis scateat vitiis, illa tamen non ipsi imputanda sunt, sed hominibus eam exercentibus; propter abusum, cum is non æquet, nedum superet usum, removenda non est. Nam si verus rerum usus, propter abusum, esset tollendus, *nec duces essent utiles, nec medicina, nec ipsa denique sapientia*: cum in illis *gravissima nonnunquam flagitia deprehensa sint e)*. Commodæ insuper sunt divitiæ mutuis dan-

dis, vel modico cum fœnore, ad humanam indigentiam, quæ satis frequens est, sublevandam: commodæ sunt opificiis, commodæ agriculturæ, commodæ rei metallicæ. Munera enim, quæ in montium visceribus reconduntur, adeo dubia & incerta sunt, ut non sine maximo multorum damno, tentamina, ut vulgo vocari solent, plura frusta fiant; & si dives tandẽ metalli vena inveniatur, non absque labore & impensa, montium cryptis erui potest. Huc accedit, quod plures sint fodinæ profundæ & aquarum abundantes, e quibus sine magno sumtu metalla effodi nequeunt. Ut vero monticolæ, eruendis durissimis metallis, multam operam & impensam faciunt; sic nec minor iisdem liquefaciendis, ut cruda materia variis usibus apta reddatur, sumtus impenditur; qui tamen, eo largiori proventu, benigna vena abunde compensare solet. Præter

ter recenſitas multæ quoque ſunt aliæ opum commoditates, quæ optime cerni poſſunt, ex comparatione divitum cum egenis, qui fame, ſiti, frigore, aliisque moleſtiis ſæpe premuntur: cum contra dives omnium horum ſemper fere eſt immunis *f*).

d) *Ovid. Lib. II Triſt.* *e*) *Quint. Lib. II. Inſtit. orat. c. 17.* *f*) *conf. etiam Stobæus Sermon. CCXXVIII. & ſeqq. atq; Hor. Lib. I. Epiſt. 6.*

§. IX.

Verum, licet opes tot præſtent commoda, nequaquam tamen vitæ ſufficientiæ, quæ *αὐτάρκεια* audire ſolet, præferri debent. Nam animi tranquillitatem conciliare non poſſunt, ſed curæ ſæpe atque anxietatis cauſſa ſunt, tam retinendi acquiſita, quam eadem augendi. Eſt enim inveteratus divitum morbus, ut, quo plura habent, eo ampliora deſiderent. Deinde vitæ ſufficientia magis eſt neceſſaria, quam magnæ opes; his enim ſæpe carere

poſſumus, ea vero non ita: illa, quæ e re ſunt, præſtat; hæ plura, quam ſemper ſint neceſſaria. Præterea non tanta ſunt pericula conjuncta cum vitæ ſufficientia, quanta cum divitiis: ideoque Agur, in Proverbiis Salomonis, opes & paupertatem deprecatur, partemque ſibi demenſam atque ſufficientem expetit *g*). In ſummis denique divitiis miſeria locum habere poteſt, ut exemplum Midæ oſtendit: de quo narratur, omnia, ob ſtultum ejus votum, quæ attigerit, in aurum commutata fuiſſe, ut, licet dictiſſimus eſſet, fame & ſiti conflictatus ſit *h*); abſurdum itaque eſſe antedictæ virtuti eas anteponere, ſatis conſtat *i*). Nec veram vitæ felicitatem conſtituere poſſunt: inſtrumenta enim ſunt vitæ ſuſtentandæ propter hominem; ſumma autem felicitas non eſt inſtrumentum vitæ, ſed ejus finis, ideoque in illis conſiſtere nequit. Por-

ro

ro, expetitur ſumum bonum propter ſe; facultates vero ejus utilitatis gratia, quam in vita humana præſtant: unde parens eloquentiæ dicit, divitias expeti, tum ad uſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates *k*). Cum inſuper plus corpori opes inſerviant, quam animo, qui eſt pars hominis nobilior, pro ſumma felicitate ſalutari nequeunt: non enim bona fortunæ ad eam parandam ſufficiunt, ſed requiruntur omnino bona animi; unde etiam plurimi cum Ariſtotele, eam in perpetua actione virtutis ſitam eſſe comprobant. Et quomodo ſummum bonum, quod non niſi licitis & honeſtis rationibus acquiritur, in rerum copia conſiſtere poterit, quæ vi, rapinis, dolo, & quibusvis injuriis ſæpe comparatur, & eſt adeo fluxum, fragile & caducum bonum, ut qui uno die ſumma rerum omnium affluentia abundat, atque vel Crœ-

ſo

ſo ditior eſt; altero miſerrimus Irus eſſe poſſit? Ut enim fortuna nunquam diu eodem ſtat veſtigio; ſic nec opes diu durant: quippe quæ igne conſumi, ab hoſtibus abripi, a furibus auferri, a latronibus eripi, maris violentia perdi, aliisque variis modis amitti poſſunt. Cum autem ejusmodi damnis & periculis ſumma felicitas non eſt obnoxia, in opibus conſiſtere non poteſt *l*).

g) *cap. XXX. 8. b*) *Ariſtot. Lib. I. Polit. c. 6. i*) *vid. Vendelini Phil. Moral. de vitæ ſuffic. k*) *Lib. I. de Offic. cap. 8. l*) *vid. Hornej. Phil. Mor. Lib. I. cap. 5.*

§. X.

Ex illis, quæ allata ſunt, facile patere exiſtimo, divitias, in vita humana, adeo eſſe utiles & neceſſarias, ut viro prudenti non modo liceat, ſed etjam incumbat, æquis eas rationibus quærere, & ſuis aliorumq; uſibus ſervare. Sunt enim adminicula conciliandæ felicitatis, ornamenta conciliatæ, libe-

ralitatis instrumenta. Verum, ut nihil est ab omni parte beatum, nullumque adeo commodum, quin *suum* habeat incommodum; sic, licet *divitiæ*, ut diximus, adjumenta virtutum sint, & beneficentiæ, variisque necessitatibus inserviant; cum molestiis tamen, laboribus, curis, invidia & insidiis non modo sunt conjunctæ, sed variorum quoque imprudentibus existunt irritamenta vitiorum. Est ea humanæ naturæ imbecillitas, ut in secunda fortuna plerumque inconsideratiores, quam adversa, specie utilitatis, quæ minus sunt utilia, sectemur, atque rebus prosperis obcæcati, affectibus & cupiditatibus nostris obediamus. Hinc multis adolescentibus, per blandam parentum indulgentiam, atque propriam stultitiam, divitiæ, quæ artium discendarum, & acquirendæ eruditionis instrumenta essent, impedimenta fiunt; unde Seneca *m*) dicit eas ad philosophandum multis ob-

obſtitiſſe. Ὁποῖοι γὰρ ἄν τινες ὦσιν ὁι χρώμενοι, τοιαῦτα καὶ τὰ πράγματα αὐτοῖς ἀνάγκη ἔιναι: *Quales illi ſunt, qui rebus utuntur, tales & res ipſas iis eſſe neceſſe eſt*, inquit Æſchines Socraticus *n*). Cum autem non pauci, deſidiæ & perditis voluptatibus dediti, nihil laudabile operentur; ſed facultates in veſtium luxum, in opipara convivia, in res ludicras, vanas, & nullum adferentes uſum impendant, atque perpotandi pervigilandique inſana dulcedine decepti, ſplendide cuticulam curent in diem vivendo; non poſſunt non, ea ratione, mores depravari, debilitari memoria, honeſtarum rerum ignorantia induci; morbi contrahi, libidines provocari, vires & mentis & corporis frangi, atque ipſis aſotis res in ſe bonæ, malæ fieri. Hinc idem Æſchines *o*): Τοῖς μὲν καλοῖς κἀγαθοῖς τῶν ἀνθρώπων τὰ πράγματα τυγχάνει ἀγαθὰ ὄντα, τοις δὲ φαύλοις μοχθηρὰ: honeſ-

honestis & bonis viris res bonæ fiunt, malis vero malæ. Atque non solum adolescentiam opum abundantia ad *mollitiem*, luxuriam, superbiam, aliorum contemtum & contumeliam, atque alia vitia allicit, sed adultam quoque, & grandiorem ætatem agentes, imo, totas respublicas irretit atque seducit. Populus Romanus tam diu clarus fuit, quamdiu pauper; dives autem factus, variis se passus est obrui vitiis. De his L. A. Florus *p*). *Syria*, inquit, *prima nos victa corrupit: mox Asiatica Pergami regis hereditas. Illæ opes & divitiæ afflixere seculi mores: mersamque vitiis suis, quasi sentina, rempublicam pessum dedere.* Et paullo post. *Jam speciosiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iisdem divitiis incitatus? Atque inde Mariana, inde Syllana tempestas. Aut magnificus apparatus conviviorum, & sumtuosa largitio, nonne ab opulentia, paritura mox egestatem.* Opes itaque,

quæ

quæ hoc modo effunduntur, ne dicam uſurpantur, præter luxum & ambitionem, comitem habent inopiam, multa mala ſuadentem. Cum enim voluptatum & luxuriæ alimenta deficere incipiunt, convertuntur prodigi, non, ut par eſſet, ad meliorem frugem, ſed deliciis adſueti, plerumque ad malas artes. Suorum profuſi, aliena cupiunt: rapiunt, conſumunt; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiſcua, nihil penſi neque moderati habent *q*).

m) *Epiſt. XVII.* *n*) *in Dialog. de Divitiis p.* 46. *o*) *p.* 50. *p*) *Lib. III. c.* 12. *q*) *Conf. Sallust. Catilin. bell. c.* 8.

§. XI.

Sunt præterea opes, quæ incitant ad alios damnis & injuriis afficiendos, atque inopes & inferiores opprimendos. Multi enim inveniuntur, qui, cum opibus circumfluant, quidquid fere velint, ſe poſſe impune facere exiſtimant,

ſtimant, & alium, in primis pauperem, non audere illatam ſibi injuriam, ad magiſtratum aut judicem deferre. Et ſi ea deferatur, aut pecunia hi conducunt, qui falſum edant teſtimonium: aut cauſſam protrahunt, morbos fingendo, aliasque rationes, ſpeciem veri habentes, adferendo, atque ab uno procedendo tribunali ad aliud, ut alter ſumtibus expendendis non poſſit ſufficere, ſed litem pertæſus, minus damnum potius ferat, quam majoribus impenſis prorſus exhauriatur: aut procuratorem, qui alterius partis cauſſam coram tribunali aget, muneribus corrumpunt, ut bonam & juſtam cauſſam, quam defendendam ſuſcepit, vel pervertat, vel non ea, qua deberet, diligentia & æquitate perſequatur: aut denique judicem promiſſis & largitionibus in partes ſuas trahunt. Noverunt enim munera magiſtratus ac judices ita

obcæcare, ut quid juſtum, quid injuſtum ſit, non videant: ita aures eorum obdurare atque corrumpere, ut voces litigantium non recte percipiant vel diſcernant: ita linguam manusque eorum conſtringere, ut ad juſtitiæ normam neque pronuncient, neque diſtribuant quicquam *r*). Alii honorum cupidi, licet immeriti ſint, ſæpeque dignitatibus impares; cum tamen divitiis abundent, incenduntur illis ad ambiendos honores; ideoque, ut virtutibus carent, quibus ad eos provehi poſſent; ita aureo, ut dici ſolet, malleo fores eorum pulſant, quorum ope votorum ſuorum compotes fiant. Quæ munera emendi prava ratio, ingens tam ſtatui eccleſiaſtico, quam politico damnum affert, atque præter injuriam, qua afficiuntur vitæ integritate, eruditione, dexteritate & meritis conſpicui, cum indigni illis præferantur, grandi & horrendæ

barbariei viam ſternit. *Nam ubi bonus deteriorem divitiis magis clarum, magisque acceptum videt, primo æſtuat, multaque in pectore volvit; ſed ubi virtutem opulentia vincit, animus* aut *ad voluptatem a vero deficit s)*, aut avaritiam, omnium malorum radicem. Alii denique abutuntur opibus, corrumpendo legatos, urbium, regionum atque caſtellorum præfectos, aliosque miniſtros, & a fide, regi & patriæ debita, muneribus avocando. Sic Diomedon Cyzicenus, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecunia corrumpendum ſuſceperat; qui tamen orbis terrarum divitias, pro patriæ caritate, accipere noluit *t)*. Sic Darius Codomannus percuſſorem in Alexandrum, regem Macedoniæ, mille talentis emere voluit; ideoque ſummo jure ab eo in hunc modum eſt reprehenſus: *impia bella ſuſcipitis, & quum habeatis arma, licitamini hoſtium capita u)*. Sic Tatius, ad prodendum Capitolium, promiſſis ſe-

duxit virginem Tarpejam. In pretium vero proditionis obruta eſt hæc clypeis Sabinorum, iisque necata *x*). Sic Ganelo, Caroli Magni legatus, pecunia ſe corrumpi paſſus eſt, atque Marcillo, Saracenorum duci, Francorum aciem, in qua Rolandus, & alii illuſtres viri perierunt, prodidit *y*). Et quid immoremur exemplis, cum omnium temporum annales, hac perverſa ratione, caſtella, urbes & provincias ſæpius hoſtibus proditas fuiſſe teſtentur? Fœda enim avaritia, fidem, probitatem, ceterasque artes bonas ſubvertens, omnia venalia habet: ſed non raro juſta accelerat deditis ſibi ſupplicia. Licet enim proditio ametur; proditores tamen ab omnibus odio habentur: ideoq; exempla habemus, quod ipſi hoſtes eos catenis vinctos, ad penates remiſerint, ut, exempli cauſſâ, & communis regum ſecuritatis, debitas perfidiæ luerent pœnas.

r) *vid.*

r) vid. Bernegg. in Tacit. Quæst. 80. s) Sallust. in Orat. II. de republ. Ordin. t) Curt. Lib. IV. u) Cornel. Nep. in vita Epaminon. c. IV. x) Valer. Max. Lib. IX. cap. 6. Flor. Lib. I. c. I. y) Sabell. En. 8. Lib. 8. Gaguinus Lib. IV. de Francis.

§. XII.

Hæc memorata vitia, quæ ex abusu divitiarum fluunt, sunt quidem satis detestanda; sed est aliud adhuc magis abominandum. Dantur enim multi, quos tanta invasit cupido divitiarum, ut omni sepositа justitia, fide, pietate, aliis virtutibus, magnis opum cumulis ad majores corradendos irritentur: quibus, in neminem boni, in se vero pessimi, pro Deo serviunt, in quibus spem ponunt, quibus confidunt. Atque sic horrenda facta apostasia, verum Deum, quem ore profitentur, operibus denegant, & pravo suo avaritiæ exemplo, homines alios seducunt, aliis scandalum movent. Hi, ut omnium rerum satietate famem sibi pararunt (est enim avaritia inexplebilis) &

non tam dici poſſunt poſſidere divitias, quam ab illis poſſideri; ita, facta earum jactura, vitæ quoque jacturam ex deſperatione faciunt, violentas ſibi inferendo manus: ſui tortores & carnifices, qui vitæ humanæ ſtationem, in qua a maximo omnium Imperatore collocati ſunt, turpiter deſerunt.

Poſſent quidem plura, & commoda, quæ opes præſtant, & incommoda, quæ ex illis proveniunt, adferri; ſed cum ſint innumera, paucis his recenſitis acquieſcimus, verbo jam indicantes modum & verum earum uſum. Negari non poteſt, divitias ad varios requiri uſus. Verum, *ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeunt* & nimis longa tunica minus commoda eſt, quam concinna; ſic immodicæ divitiæ non raro homines impediunt, & ita obcæcant, ut a virtutis tramite declinent. Modus itaque, cum in aliis rebus, tum in divitiis eſt ſervandus, atque cavendum, ne quid-

quam

quam aliorum injuria acquiratur: quæ enim malis artibus comparantur, male etjam dilabi ſolent. Et cum faculrates ſuppetunt, quæ rebus neceſſariis ſufficiant, contenti eſſe debemus: *optimus* enim *pecuniæ modus eſt, qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate diſcedit*, teſte Seneca *a*), qui eandem theſin alio etjam loco hoc modo exponit: *quis ſit divitiarum modus, quæris? Primus, habere, quod neceſſe eſt, proximus, quod ſat eſt. Prior reſpicit id, quod natura requirit, poſterior, quod humanitas, & ut commode vivere poſſis b*). Huic aſſentitur Ariſtoteles, dicendo, tantas opes ſuffecturas, quantæ nec inſidias poſſidenti, nec rerum neceſſariarum inopiam conciliabunt *c*). De uſu autem divitiarum, pro ratione noſtri inſtituti, dixiſſe ſufficiat, eas nec prodige effundendas, nec ſordide retinendas; ſed impendendas in uſus pios & honeſtos: unde Apoſtolus *d*): Τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι παράγγελ-

γελ-

γελλε, μὴ ὑψηλοφρονεῖν, μηδὲ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, ἀλλ' ἐνὶ τῷ Θεῷ τῷ ζῶντι, τῷ παρέχοντι ἡμῖν πλουσίως πάντα εἰς ἀπόλαυσιν· Ἀγαθοεργεῖν, πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, εὐμεταδότους εἶναι, κοινωνικούς· Ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, ἵνα ἐπιλάβωνται τῆς ὄντως ζωῆς. *Iis, qui divites ſunt in hoc ſeculo, denuncia, ne efferantur animo, neque ſpem ponant in divitiis incertis, ſed in Deo vivo, qui præbet nobis omnia copioſe ad fruendum. Ut ſint benefici, ut divites ſint operibus bonis, faciles ad impertiendum, facilis convictus: congerentes ſibi, pro theſauro, fundamentum bonum in poſterum, ut apprehendant æternam vitam.* Temporis rerumque anguſtia vetat in hac materia ulterius progredi, ideoque paucis his finem imponens, enixe rogo, velit C. L. leviuſcula hæc, pro ſolito favore, benigne interpretari.

z) *Curt. Lib. IV. c. 2.* a) *De tranquill. animi, c. 8.* b) *Epiſt. II.* c) *vid. Lib. II. c. 5.* d) *1. Timoth. VI. v. 17, 18, 19.*

Soli DEO Gloria.

S. C. F. N. 4.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA
DE
PUNCTO
OCCASIONIS,

Quam,

Cum consensu Amplissimæ Facultatis Philos. in Regia Upsal. Acad.

PRÆSIDE

CELEBERRIMO VIRO,

DN. JOHANNE
SCHRÖDER,

Eloquentiæ & Politices Profess. Reg. & Skyttian.

Publice ventilandam sistit

NICOLAUS PACQUALIN
DALEKARLUS.

In Aud. Gust. Maj. ad d. XII. Decemb.

Ant. MDCCXXII.

Horis ante meridiem solitis.

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
SUMMÆ FIDEI VIRO
Perillustri Generosissimoq;
BARONI ac DOMINO,
DN. OTTONI
REINHOLDO
STRÖMFELT,
Territoriorum Magni
Cuprimontii Sæterensis & Næs-
gardensis, nec non utrius-
que Dalekarliæ
PRÆSIDI & GUBER-
NATORI
Exoptatissimo.
MÆCENATI MAGNO.

Ne. Quæso.
Indigne. Feras.
PERILLUSTRIS. Ac GENEROSISSIME. DOMINE.
Quod. Ego.
Inter. Musarum. Cultores. Infimus.
Audaces. Adeo. Gressus.
Ad. Illustres. Tuos. Lares.
Moliri.
Atque. A. Tuo. Splendidissimo. Nomine.
Lumen. Obscuris. Hisce. Pagellis.
Fœnerari. Ausim.
Solito. Enim. Tuo.
Erga. Literarum. Cultores. Favore.
Et. Gratia. Celebratissima.
Aditum. Mihi. Hæsitanti.
Pandente.
Veniamque. Pollicente.
Fretus.
Pia. Mentis.
Venerabundique. Animi. Tesseram.
Ad. Pedes Tuos. Deponere.
Hocque. Qualecunque. Sit.
Tenue. Ac. Impolitum.
Tibi.
Mæcenas. Magne.
Cum. Omnigenæ. Felicitatis.
Calidissimis. Votis.
Sacrum. Facere. Argumentum.
Ausus. Sum.
Diu. Itaque.
Carum. Patriæ. Pignus.
Clientum. Præsidium. Certissimum.
Vivas. Valeas.
Itemque. Faveas.

PERILLUSTRIS & GENEROSISSIMÆ
NOMINIS TUI

cultori humillimo
NIC. PACQUALIUS.

Maxime Reverendo

DN. JOANNI

S. S. Theologiæ DO-
Theoret. PROFESSORI, in Re-
berrimo, PASTORI in Nåås
Optimo, Ex-
Ita summa animi veneratione
Plurim. Rever. & Præclarissimo
VIRO,

D.N. ANDREÆ

BARCHÆO,

PASTORI & PRÆPOSITO in
Norberg & Wästanfors/ longe
meritissimo,
Patrui loco mihi omni honore ætatem
Iuspiciendo.

RUdem hanc *Occasionis* delinea-
in se collata beneficia, grati a-
perennaturæ prosperitatis voto

devotissimus atque
N.

Amplissimoque DOMINO,

STEUCHIO,

CTORI, atque Philos. gia Academia Upsaliensi, Cele- vigilantissimo, ut PATRONO optatissimo.

ad cineres colendo.

Amplissimo atque Spectatissimo

VIRO,

Dn. JOHANNI URLANDER,

Universæ Dalekarliæ CAME- *RARIO* Provinciali Laudatissimo, *NUTRITIO* meo propensissimo

Quovis observantiæ cultu semper prosequendo.

tionem, in devoti, obque insignia nimi τεκμηρίου, cum omnis generis sincero, dicat & consecrat

observantissimus cultor

P.

Den
Högachtade och Wälbetrodde
HERREN/
Befallningsmannen wid Stora
Kopparbergs Lähn
Herr DANIEL SCHREY,
Min Högtährade k. Fader/
Så och
Ähreborne och Högwälacht. HERRAR/
Bergsmän wid Stora Kopparberget/
Herr EGGERT LUNDSTRÖM.
Samt
Herr JOHAN PACQUALIN,

ATT tiden sig til gagn försichtigt bruka kunna/
När lyckan läglig stund/doch til alt ärbart/unnar/
Det är en ädel konst/ som mycket godt beskiärt
Ein Mästar' allan tid/then hwar man doch ej lärt.
Min swaga fiäder har sig dristat der til gifwa/
Att litet här om slikt et sinnes snille skrifwa:
Men hwad tro wiljan blätt/ ell' biuda til förslår/
När kraften sådant wärk fullborda ej förmår?
Jag härwjd endast wil mig stelf en tina påminna/
Och fägnar mig/ at jag nu mänd tilfälle finna/
At allmänt godhet all/ som J mig städs bewist/
Bepriså med det lof/ jag härtils hemligt hyst.
Förden skul nu til prof utaf et tacksamt sinne/
Uptan et papers wärck/ skiönt J än skolen finna/
Det gäfwan mager är; Förmägan är ju swag/
Men wiljan är doch god/ den anser/ beder jag.
Min önskan och min bön i allan tid skal wara/
Det wille Himlens Gud sin nåde icke spara
För Ehr/ min Fader kiär och Bröder såta Twå/
Men altid låta Ehr alt godt här niuta få!
Önskar en lydig son och trogen broder
N. P.

Viro-Juveni,

Eruditissimo ac Politissimo,

D. NICOLAO PACQUALIN,

Amico & Populari Honoratissimo,

PUNCTUM OCCASIONIS

Eleganter Delineanti.

AUt nocet, aut prodest octasio rapta, relicta;
In puncto felix seu male prosper eris.

Non patitur quicquam fieri, qui temperat orbem;
Quod non arbitrio diriget ille suo;
Libera terrenis quin sit tamen optio rebus
Impedit haud, alias imperiosa, Manus.
Promovet aut tardat cito sic data commoda quisque,
Atque suæ sortis caussa, faberque manet.
Scitulus hæc castæ monstras, PAQUALINE, juventæ,
Ut *punctum* prudens *commoditatis* amet.
Advolet in gremium PAQUALINI occasio dives;
Nec temeros artus defetet ille Deæ,

LAUR. WICANDER.

B. L.

UT eo magis instituti nostri rati
tiroa præsentem materiam, Ti
constet, paucis nominare volumus
quod in V. capita tractationem ejus divisi
mus: quorum Primum Expositione
tituli Nominalem & Realem contine
In 2:do Circumstantias exponimus, qu
ad occasionem producendam, velut i
puncto, coincidunt. In 3:tio Cap. V in
ejus tam in vita publ. quam privat
monstramus. In 4:to cap. varias Quæ
stiones morales & Politicas movebimus
ut constet, an, vel quatenus, qualibet oc
casione data uti liceat. In 5:to Vim eju.
& efficaciam in rebus militaribu.
declarare animus est. Sed cum opus, in
ter elaborandum, fere ultra modum &
opinionem crescere videretur: hæc du
ultima Capita in aliam occasionem, D.
V: reservare coacti sumus. Interea ut
conatibus nostris faveas, & pauca hæc=
ce, quæ nunc a nobis eduntur, æqui
bonique consulas, enixe rogamus.

1. N. 3.

De Occasione.

CAPUT PRIMUM.

§. I. Occasionem Deam veteres finxisse, demonstrat.

§. II. Dominari illam in cunctis rebus humanis.

§. III. Derivationem vocis sistit.

§. IV. Definitionem ejusdem.

§. V. Brevem explicationem vocabulorum in frontispicio adhibitorum, & duplicem acceptionem occasionis exhibet.

§. VI. Differre eam ab opportunitate, quæ in rebus propriè spectatur.

§. 1.

Veteres gentiles, ſupremum Numen vel ignorantes, vel eidem, ceu omnis bonitatis fonti, debitum honorem præſtare negligentes, inumeros ſibi finxerunt deos, illumq; ad honorem, quicquid illis magnum & inſolitum obveniſſet, evexerunt. Nec mortales ſolum hoc ſummo honore dignati ſunt, eosque fato jam defunctos, qui, vel corporis modestiæ, vel ingenii excellentia, vel rerum geſtarum claritate, admirationem ſui excitaſſent, & quod maxime abſonum videtur, omni interdum vitiorum genere refertos, ut homicidas, fures, adulteros & ejusmodi farinæ alios, ſed &, quod mireris, animalia bruta, & ne quid veſaniæ deeſſet, res inanima-

tas abjectiſſimasque in deorum repoluere, numerum: eorumque memoriæ aras vel ſtatuas erectas dedicavere, figuris & imaginibus diverſa ſpecie adornatis, adumbrarunt, quæ cuique maxime conveniret, ejusque naturam, indolem & res, quas fingebant, geſtas, quam aptiſſime exprimeret. Sic iidem veteres gentiles, & præcipue Lacedæmonii, Fortunam deam vocarunt, eique omnem potentiam & vim humanarum actionum attribuêre, eidem, pro feliciter transactis eventibus, gratias egere. Si vero quid adverſi, præter opinionem, eveniret, de Fortunæ ſtatim crudelitate querentes, temerariam adulteram, arrogantem, ſtultam & immiſericordem novercam illam nuncuparunt: cumque nihil illius inconſtantia conſtantius deprehendere ſibi viderentur, cum ſine judicio, & bonis & malis, ſua bona diſtribuere videretur, eosque, qui

illam maxime colerent, ſæpe præterire, contemtoribus vero ſuis & ignavis adhærere, nec non, quos primo maxime evexerat, mox ad infima detrudere, *indulgendo nunquam fatigata*: *a*) hinc illam nudæ & occluſis oculis, cæcæ mulieris effigie, inſiſtentis rotæ vel globulo rotundo, quovis momento ſeſe circumvolventi, firmiter ſtare neſcio, convenientiſſime pingi poſſe debereque putarunt. Id quod Ovidius hiſce verſibus exprimit:

Paſſibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenaxque loco.

Similiter quoque Occaſionem (cujus illa quaſi mater eſt, hanc ſæpe negligentibus & ignavis ſuppeditans) deam veteres Romani finxere, Græci vero deum, quem *καιρὸν* appellarunt. Varias autem hujus effigies, paſſim apud ejus cultores, conſpicere licet: quorum plerique illam a fronte capillatam, a cervice calvam

a) *Curt. lib. 8. cap. 3.*

vam posuere, rotæ volubili, & celerrima vertigine se huc atque illuc circumagenti, insistentem: cujus pedes idcirco alati essent, dextra in dorsum retorta, novaculam acutam tenentis manu. Vestigiis ejus inhærebat puerulus quidam, lugubri, & quævis tristitiæ signa præferente vultu, nomine Metamelon. *b*) Quo commento indolem & brevitatem occasionis delineare voluerunt, quod sc. si, quando se offerat, arripiatur & observetur, inæstimabile ejus est momentum, ad perficienda, quæ animo destinaveris; sed etiam admodum brevi favor ejus duret spatio: ut si quis illam oblatam præterire permittat, celeriter, alipes quasi, e manibus elabatur, & frustra inde quæratur: cum, quasi acuta novacula, cuncta itineris impedimenta rescindat &

b) vid. *Anonymi Exsilium Melancbol.* tit. Gelegenheit. & *Katz. Emblem. Mor.*

removeat, ut non possit reprendi. nec aliud quam pœnitentiam, quæ hac ratione ejus comes fingitur, relinquat. Unde etiam celerrimæ aquilæ eam nonnulli assimilarunt, quæ ad pedes advolans, a quolibet capi potest: si vero aufugiat in altum, eos, qui ipsam persequuntur, ridet, nec ut ad eos redeat, in animum induxit. *c*) Huc pertinet etiam epigramma illud Ausonii:

Cujus opus? Phidiæ, qui signum Pallados ejus,
Quid? Jovem fecit: tertia palma ego sum.
Sum Dea, quæ rara & paucis Occasio nota.
Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris sum: Mercurius quæ
Fortunare solet, tardo ego, cum volui.
Crine tegis faciem? Cognosci nolo; sed heus tu,
Occipite calvo es? Ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? Dicat tibi. Dic rogo quæ sis?
Sum Dea, cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum

c) *Heidfeld. Sphinx Theol. p.* 149.

Sum Deus, quia facti non factique exigo pœnas.
Nempe ut pœniteat, sic Metanœa vocor.
Tu modo dic, quid agat tecum? Si quando volavi,
Hæc manet: hanc retinent, quos ego præterii.
Tu quoque dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

Hinc etiam tritum illud Catonis: *Remi, tibi quam nosces aptam, dimittere noli,*
Fronte capillata, post est occasio calva.

Sic etiam simulachrum ejus plerumque depictum videre est in frontispicio Satyrici Barclaii.

§. II.

Dominatur autem occasio in *cunctis* rebus humanis, *d*) aggressuros*q*; aliquid permultum juvat. *e*) Unde septem Græciæ sapientes, dum quisque sententiam quandam, in modum symboli elegerunt; ut alius hanc: τέλος ὁράιεν μαχρᾷ βίᾳ: i. e. *Spectare vitæ jubeo cunctos terminum:*

d) *Polyb. hist. l. 9.*
e) *Thucyd. l. 3.*

num: alius aureum illud, Γνῶθι σεαυ-
τὸν: alius μηδεν ἄγαν, *Ne quid ni-
mis*, assumeret; non absque ra-
tione egregiam illam, γνῶθι καιρὸν: *Nosce tempus*, Pittacus selegit:
quam sententiam etiam, inter re-
liquas, singulis januis Fani Apolli-
nis Delphici inscriptas, primum
tenuisse locum traditum est. Mul-
tum quia interest, idem illud u-
trum ante, an post, decernatur &
suscipiatur: nec major est sapien-
tia, quam in tempestivis negotio-
rum auspiciis principiisque eligen-
dis. Num autem aliquid ab his di-
versum sacra nos pagina docet,
quæ non tantum certiores nos fa-
cit, cuncta sub sole, vitam & mor-
tem, secunda & adversa, tempus
sibi conveniens agnoscere, *f*) ei-
demque & fortunæ multa deberi: *g*)
verum etiam alio nos loco horta-
tur, *ut tempori inserviamus*, *h*) se-
curitati

f) *Eccles.* 3. 1.
g) *ib.* 9. 11.
h) *Rom.* 12. 11.

curitati nos non tradamus, aut de craſtino gloriemur: cum nemo certe ſcire poſſit, ſerus quid veſper advehat: *i*) quin potius quamdiu vox illa, *Hodie*, aures noſtras perſtringit, rebus noſtris conſulamus. De cetero ſane obveniunt mihi hic illi morbis laborantes variis ad Bethesdam: *k*) qui, quamprimum morbi pellendi copia & occaſio illis data eſt, per angeli deſcenſum, certo tempore aquam tangentis, mox ad illam quisque primus pervenire, quaſi æmulantes, documento nobis eſſe videntur, magnam vim eſſe temporis, & occaſionem in puncto captandam eſſe.

§. III.

Cuique autem in aprico eſſe exiſtimo vocabuli hujus, quod in titulo comparet, etymon, atque derivationem: adeo ut non neceſſum ducam, multis oſtendere, vel probare,

i) *Syr.* 18. 26.
k) *Job.* 5. 3.

bare, natales ejus referri ad antiqvũ illud verbum *occido*, penult. correpta, quod ex *ob* & *cado* compoſitum, non ſolum perire, interire, cadere, deſcendere &c. ſignificat; ſed & interdum idem nobis eſt, ac *obvenire*, *offerre*. Unde Occaſio dicitur, quaſi *ob cauſſam*, vel *ob caſum*, *incidens*. Hinc pro *occaſione* vereres *obcaſum* dixêre, teſte Feſto, & ſicut a ſvaſum eſt ſvaſio, ita ab *occaſum* eſt *occaſio*, *l*)

§. IV.

Interroganti jam, quid ſit occaſio? reſpondemus, variè apud varios hanc definiri. A quibusdam enim dicitur *commodæ effectrix magnarum rerum*; ab aliis *operis optima magiſtra*, vel *cujusvis incepti felix artifex*. *m*) Aliis *vitæ communis tanquam amanuenſis eſt*, *ea*, *quæ ad propriam*

l) *Voſſii Lex. Etym. item Becm. de origin. ling. Lat. aliique Lexicographi.*

m) *Reinhard. ad lib. 3. Polit. Lipſ. c. 8. n. 4.*

priam cujusque fortunam ampliandam facium. ſuggerens. Quæ primum an-
„ſam vaſis porrigit, deinde ven-
„trem, & inſtar Sibyllæ minuit obla-
„tum, pretium auget. *n*) Aliis porro *anima actionum o*) &c. Nobis haud inepte deſcribi poſſe videtur per *Opportunitatem rei proſpere gerendæ, concurrentibus omnibus circumſtantiis ad hoc requiſitis, quæ ſi ſemel negligantur, fruſtra inde quæruntur. p*) Cum quo incidit illud Ciceronis. *Occaſio eſt pars temporis, habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi vel non faciendi opportunitatem. q*) ejusdemq; Ciceronis. *Tempus autem actionis oportunum, græce εὐκαιρία, Latine appellatur occaſio. r*)

§. VI.

n) *Verulam: de dignit & augm. ſcient. l. 6. cap. 3. &. Serm. Fid. 21. l. 8. c. 2.*

o) *G. Pachym. hiſt. l. 3.*

p) *Liv. Dec. 3. l. 5.*

q) *de invent. 56.*

r) *Offic. l. 1. cap. 40.*

§. V.

Quemadmodum vero in frontiſpicio diſſertationis, duo vocabula, ſc. *punctum occaſionis* occurrunt; ita neque incommode dici arbitramur, *Occaſionem eſſe punctum temporis opportuni.* Punctum enim, tradunt Geometræ, eſſe minimam & individuam quantitatis partem, vel corpus individuum, ἄτομον, quod, ob incomprehenſibilem brevitatem ſui, longitudinis, latitudinis & profunditatis expers, in partes dividi non poteſt. Hinc ſumitur aliquando pro temporis particula, vel horæ momento, στιγμὴ χρόνε. Ita *multorum menſium labor, hoſtium perfidiæ & vi tempeſtatis, puncto temporis interiiſſe dicitur.* s) Unde etiam tritum illud: *Accidit in puncto, quod non ſperatur in anno*; item, *Perditur in puncto, quod non reparatur in anno.* Poteſt ergo occaſio etiam non inepte per analogiam quandam, (ſi modo in de-

s) *J. Cæſ. lib. 2. bell. Civ. cap. 3.*

in definitionibus, terminis analogicis uti liceat) dici *punctum:* quippe cujus, ut plurimum, adeo est breve ſpatium, anguſtique limites, ut extendi vel in dies protrahi nequeat, & niſi prima fronte obſervetur, fruſtra deinde quæratur. Hinc Hippocrates: *Occaſio eſt, in qua non multum temporis eſt*: ſic etiam ab alio dicitur: *Punctum eſt, quod vivimus, & adhuc puncto minus, meritoque ἡμιεφήβους dicamur*, i. e. diales. *t*) Attamen hic idem obſervandum, quod de reliquis quantitatibus moralibus, quod cum aliqua latitudine concipi debeat. Unde etiã occaſio dupliciter ſumi *poteſt*, I. *Strictiori* ſenſu, non niſi pro opportunitate, quæ caſu quodam improviſo, vel rarius exiſtente, provenit: qua ſi quis perfrui velit, cito arripienda eſt, alias conſeſtim evaneſcit. Ex. gr. ſi candidatus honoris eſſe velis, qui forſan vix bene vacabit, antequam ſuc-

ceſſor

t) *Phil. Beroald. heptal. Sapient.*

ceſſor deſtinatus fuerit. Hæc potiſſimum in rebus magni momenti valet: de qua ſcite admodum dixit Imp. Rom. Carolus V. *Cunctationem animam conſilii eſſe: celeritatem exſecutionis: utramque ſimul junctam eſſe quintam eſſentiam Boni Principis u*) & II. *Latiori*, pro quavis temporis aptitudine, ſive data, ſive induſtria, conſilio vel beneficio cujusdam parta ſit: cujus fruendæ laxius ſpatium dari poteſt, ita quidem, ut etiamſi forte, per ſocordiam ſemel iterumque negligatur, nihilominus tamen illa duret, & velut invito ſe ſe obtrudere geſtiat. Ex. gr. Filius immorigerus, de quo tamen parentis cura non ceſſat, nullis impenſis parcitur, ut homo frugi evadat. Quodſi inemendabilis, vitæ morem diſſolutum continuaverit, donec mortuo parente, bona dilapidata ſint, optimus vitæ flos perierit, donec ipſe homo nauci, & ad omnia

u) *Piccart. Obſ. Hiſt. Polit. Dec.* 18. *c.* 6.

mnia ineptus, pro purgamento ſocietatis habeatur: hic talis optima occaſione melioris vitæ, & fortunæ faciendæ, fœde abuſus dicitur: quæ tamen ſatis longo tempore, ab ineunte ætate, forſan ultra juventam, duravit.

§. VI.

Quanquam autem *Occaſionem* deſcribimus per *opportunitatem*, late & fere improprie ſumtam; in ſtrictiori tamen ſenſu, haſce inter, differentiam quandam deprehendimus: quod ſc. illa proprie ad tempus, hæc autem ad rem ipſam ſpectat; id quod vel ipſa vocum indoles & origo indicare videtur. *x*)

CAPUT SECUNDUM.

§. I. Momenta & partes, quas præcipue continet occaſio.
§. II. Objectum ejusdem.
§. III. Inter circumſtantias ad occaſionem aliquid conferentes, eſſe tum locum.
§. IV. Tum præcipue tempus.
§. V. Facultates & vires agendi ad progreſſum obtinendum inſervientes.

§. I.

x) *Conf. Reimb. ad Lipſ. Lib. 5. Pol. c. 16.*

§. I.

Illa itaque (Occasio) in actibus vitæ communis spectatur, vel in circulo rerum contingentiũ, cujus centrum (ut similitudine analogica, a puncto sumta, amplius utar) est ipsa commoditas heic & nunc data, ad aliquid prospere agendum, cujus non majus est spatium, quam ut in puncto quasi consistat, quod in partes dividi nequit. Peripheriæ similitudinem, quæ in circulo facile extendi vel contrahi potest, hic haud inepte exprimunt vices rerum humanarum, quæ admodum breves & quavis hora mutabiles sunt: *y*) Circumstantiæ autem, quæ opus promovent, radiorum instar ad Centrum tendentium nobis sunt. Quemadmodum enim lineæ & radii, quotquot fuerint, a peripheria ducti, ad unum tamen idemque centrum vel scopum tendunt, in quo concurrunt; similiter

y) *Curt.* 4. 14. 19.

liter hæ quoque ad opus quoddam, vel actionem feliciter peragendam, singulæ, mutua quasi auxilii consociatione conspirantes, aliquid pro virili conferunt. Complectitur autem occasio quatuor imprimis momenta, secundum Pufendorfium z) sc. I. *Objectum*, circa quod actio est suscipienda. II. ut adsit *commodus locus*. III. *opportunum tempus*. & IV. *facultates* agendi, *viresque naturales*. Cum quibus coincidit V. *status & conditio* tam agentis, quam ejus, cum quo negotium est, sive in vita publica sive privata. VI. *modus agendi*. Notatu digna in hanc rem sunt verba Scipionis Amirati: a) *ut nunquam decet nos, qualibet occasione, tempore, exemplo, prava agere; sic in quacunque re, etiam optima, quæ agenda sit, considerandum est, an exitum sortitura sit, an tempestive agatur, an præsentibus temporibus congruat, ne absque ulla ullius utilitate, opus irritum, sæpe periculosum,*

 & in-

z) *Pufend. de J. N. & G. l.* 1. *c.* 5. §. 5.
a) *Discurs. in C. Tacit. lib.* 16. *disc.* 2.

& incipienti exitiale aggrediamur. Et paulo poſt: *Audita, lectave exempla ſtatim imitatione digna ne putentur; ſed etiam atque etiam perpendantur, an iis tempora conveniant, in eumq; modũ conſilia ſua quilibet diſponat, ut ea non aggrediatur, quæ ſibi noxia, ceteris minimum prodeſſe valent.*

§. II.

Ut autem eo evidentius conſtet, quantum ad occaſionem, vel lautam & capillatam, vel calvam, illæ modo nominatæ circumſtantiæ conferant, ſingulas earum paucis expendere lubet. Et primo, quod ad *Objectum* attinet, illud, ſecundum philoſophos, eſt vel *Reale* vel *Perſonale*. Prius illud conſtituit ipſam *materiam circa quam* actionis, quam vel factum naturale, vel hominum, ſive induſtria, ſive neglectus præſtat: quæ ubi ſeſe præſentem ſiſtit, ſcite & prudenter captanda eſt, ne neglectus pœnam ſero illam arripiens luat. Sic ſi juſta & opportuna tem-

pora

pora arandi, ſementa faciendi, fæni ſecandi, agricola neglexerit, parum lætam meſſem faciet. Si piſcator laſcivientium piſcium copiam neglexerit, vix illa, per totum deinde annum, & forte plures, tam ubere proventu dabitur. Si navita ſerenam tempeſtatem, & ventos ferentes, captare neſciat, habet quod ſibi imputet, ſi dein intempeſto mari periclitetur, vel naufragium fecerit. Circa objectũ Perſonale conſiderari ſolet, utrũ actio circa illud inſtituenda, in bonum, vel commune utriuſq́, vel alterutrius vergat, utrum contra ad malum avertendum, vel inferendum tendat. Sic ſi honeſtam feminam ambire volens procus, tardiusculus & vacillans cunctetur, donec vel ipſa in contrarium mutata, vel dotata, & ab alio domum ducta ſit, occaſio fortunæ inde faciendæ tota evanuit, nunquam forte reditura. Si hoſtem infirmum, & ad pugnam invalidum ac impara-

tum, dux belli aggredi neglexerit, donec viribus reparatis, atrocior accedat, fruſtra conqueritur, quod victoria ſibi excidit e manibus. Si Macedonib⁹, terrore perculſis, tempeſtive ſuperveniſſet Darius, ſi Romanis in Gallia Arioviſtus, longe diverſum forte exitum res Alexandri in Oriente, J. Cæſaris in Galliis habuiſſent, & utriusque horum iſti fundamento ſuperſtructa imperii magnitudo. *

§. III.

Ad actionum diverſarum commoda publ. vel privata, & proſperos effectus, vel promovendos, vel impediendos, non parum *Locus* valet; ubi illarum indoles & natura talis eſt, ut ex loci commoditate, vel iniquitate, vel auſpicio dependeat. Prudenter hoc obſervaſſe videntur primi urbium conditores, qui in locis maritimis, vel ad magna flumina, illas potiſſimum ſitas voluerunt, quæ opibus & commerciis

* *J. Cæſ. de B. Gall. l. 1. c. 9. Q. Curt. l. 4. c. 12.*

ciis florerent, contra in locis montosis, præruptis & inviis, quæ præsidio & robore valerent. *b*) Qualis urbium vel olim vel nunc potentissimarum, Athenarum, Romæ ac Venetiæ condendarum fuerit occasio, egregie monstrat Machiavellus *c*) Scite admodum, ex imprudentia Spartanorum, occasionem captavit Themistocles, Piræeum, commoditate animadversa portus, exstruendi, totamque urbem & terram ad mare adcommodandi, contrariamque sectam in civitate, ac veteres Athenienſium reges, instituendi. Quæ res populi potentiam tantum auxit, ut libertatem melius deinde tueri, reliquis Græcis, vel præsidio, vel formidini esse

 possent.

b) *Aristot. lib.* 6. *Polit. cap.* 5. *&* 6. *Scip. Amirat. Disc. in C. Tacit. lib.* 12. *disc.* 5. *Job. Boter. de Causs. magnitud. civit: l. l. conf. Nic.* Burenstiöld *dissert. de Prærogat. Rerumpublic. ex Situ Th.* 12.

c) *lib. I. de republ. cap. I.*

possent. *d)* Post Romam a Gallis captam, & incendio vastatam cum desperatio, de urbe instauranda, plebem omnium rerum egenam incessisset, Vejos respicientem, urbem omnibus instructam rebus, & stantem; ut pene ad seditionem res vergeret; callide occasionem Camillus, ex auspicio loci, sumsit, incidente forte voce centurionis, qui cohortem ducens per locum consilii, ad primipilum exclamavit, ut ibi maneret, signumque statueret: *καλὰ γὰρ ἐντᾶυθα καθεδεῖσθαι καὶ μένειν.* i.e. *Optime enim*, inquit, *hic manebimus*: quo etiam Senatus exhortationes addidit, nunc monumenta & sepulcra majorum ostendens, nunc subjiciens fana & loca sacra, quæ Romulus, Numa, aliive reges sacraverant, atque ipsis reliquerant. Ipse vero Camillus, inter prima sacra, recens caput proposuit, quod in moliendo Capitolii fundamento

d) Plutarch. Themistocl. p. m. 121.

mento inventum, locum illum, portendisset, caput Italiæ fore: nec non Vestæ ignes, a virginibus post bellum accensos. Ex quibus omnibus, mirifica, in plebe, consecuta voluntatis mutatio est: ut intra annum nova tum mœnibus, tum privatis rectis, staret urbs. *e*) Credendum quoque est, sequentibus temporibus, illam de auspicio loci, in quo condita urbs stabat, persvasionem, non minus, quam omnia prodigia cetera, & profanæ superstitionis commenta, Romanis, ad magnas res audendas, stimulos addidisse. In rebus militaribus, quantum momentum, in locorum opportunitate, situm sit, de eo postea dicendi occasio dabitur.

§. IV.

Ceterum in rota occasionis, præcipuum sibi momentum *Tempus* vindicant; cum nihil non fiat in tempore: quod sicuti quovis momento

e) *Plutarch. Camill. p. m.* 144. 145.

labitur, & velut in orbem agitur, ita innumeras rerum ſublunarium humanarumque, vices gyro ſuo volvit. Unde egregie Seneca *f*) "Quid fieri ſoleat, quid oporteat, "in univerſum & mandari poteſt & "ſcribi: tale conſilium non tantum "abſentibus, ſed etiam poſteris da- "tur: illud alterum, quando fieri "debeat aut quemadmodũ, ex lon- "ginquo nemo ſvadebit: cum rebus "ipſis deliberandum eſt. Non tan- "tum præſentis, ſed vigilantis eſt, "occaſionem obſervare properan- "tem. Itaque hanc circumſpice: "hanc ſi videris, prende: & toto "impetu, totis viribus id age. Sed cum ſervanda & occupanda, in re- bus, conſiliisque aut capiendis, aut explicandis, jubemur tempora, non tam de horis anni & tempeſta- tibus, aut noctiũ vicibus, dierumq; (quãquã has quoq; conſiderare quã- doq; oporteat) ſuſcipienda cogitatio eſt; quam eo intendere neceſſe eſt animum,

f) *Senec. Epiſt.* 22.

animum, quæ fiunt in tempore, & adjuvare, quæ agitamus, ac profligari feliciter queant, aut impedimento iisdem ac noxæ sint. Quapropter in statum rerum præsentem conjicere acriter oculos, & intueri oportet in mores hominum, in animorum habitus, & hi quid ferant, aut aversentur, colligere scienter. In nosmetipsos descendendum denique est, & incorrupta æstimatione pensandum, quæ & nunc adsint ad manus, & in futurum suppetant opes: quibus quantisque, & quam fidis ac certis nitamur auxiliis: ne aut incipiamus male, instructi non satis, aut deseramus incepta turpiter, defecti ac destituti. g) Licinius Mucianus occasione utendum ratus, oportune cauto & subtimido seni Vespasiano persvasit, ut vago & fluctuanti, inde ab excessu Neronis, imperio o-

g) *Reimb. Theatr. prud. elegant. lib. 3. cap. 5.*

pem adhiberet, & ſuæ in capeſſendo imperio auctoritatis rationem haberet. Omnino enim tunc, adflicta nutansque respublica, novo ac firmiori præſidio egebat, quam Vitellius, ſoluta belli diſciplina, torpore & luxu perdidit, famamq́, in qua permagnum ad res gerendas momentum eſt, incaute neglexit, & indecore amiſit. Quod conſilium Muciani eventus etiam adprobavit. *b*) Perquam ſimili exemplo, inclutus ille magnæ Britanniæ Rex, Wilhelmus III. occaſionẽ captavit, vindicandi libertatẽ imperii & religionis, apud Anglos: quodſi paulisper cunctatus fuiſſet, donec ſubſidiis externis firmatus Rex Jacobus fuiſſet, illa plane excidiſſet e mani-

b) *Tacit. 2. Hiſt. cap. 26. Sveton. Vitell. cap.* 10. *Xiphil. Epit. in Vitell. Schurtzfl. diſſ. Mucian. auctorit. Princ. conſulens §. 3, 4. &c.*

e manibus. *i*) Contrà erravit Demosthenes, cum ſua & ſuperiora tempora non diſtingueret, & pravo ſtudio tantum in præteritis inſiſteret, neque conſilia, ut par erat, rebus præſentibus adcommodaret. Fide quidem & amore, in Athenarum rempubl. cum Themiſtocle olim certare potuit, ſed in ea tempora incidebat, quæ, mutata reipubl. facie, alium agendi ſvadendique modum poſcebant. *k*) Infelix ejus imitator Cicero, alias ſummus vir, inter alia in eo fuit, quod libertatis reſtitutionem in ea civitate ſperabat, quæ libertatis nullo modo capax erat: *l*) quando nullum aliud diſcordantis patriæ remedium erat, quam ut ab uno regeretur

i) *Guy Miege* Groß-Britanniſcher Staat. 1. Th *c.* 29. §. 4. Friedr: Leuth. von Franckenb. Europäiſcher Herold *p.* 2. *pag.* 175. *k*) *vid. Schurtzfleiſch diſſ. cit.* §. 2. *l*) *Bæcl. Charact. Polit. Vellej. cap.* 4.

retur. Nec tempori prudentius inſerviebat Cato, qui ſua àſperitate, maximorum ingeniorum potentiam irritavit potius, quam impedivit: cum longe conſultius fuiſſet, ſtudium reipubl. aliqua manſvetudine temperare, impetuque & directa contentione discuſſa, obliqua & diſſimulata arte, communis ſalutis ſcopum attingere. Iam enim eo perventum erat, ut plerique, inhoneſto & pernicioſo conſilio, potentiæ paucorum, decus atque libertatem ſuam gratificari cuperent: ceteri fruſtra nitebantur, neque aliud, ſe fatigando, niſi odium, imo interitum quærebant. *m*)

§. V.

Vidimus jam circumſtantias, quibus circulus occaſionis volvitur; ſeqvuntur nunc *facultates & vires agendi*, quæ ad progreſſum efficaciter obtinendum inſerviunt, ideoque probe ponderandæ ſunt, ut ſi iis

m) *ibidem.*

iis præpolleas, occaſionem optimam, exinde velut ſua ſponte prognatam, minime dimittas; ſin imbecillior ſis, caute illi inhies, ubi ſorte ſerena facie emicans, nunc fortiter inſtandum eſſe propoſito monet. Hac arte vel imbellis homuncio Milonem Crotoniatem proſternere poterit; In pugna enim fatali, aliquid adverſarii vultus, aliquid manus mota, aliquid ipſa inclinatio corporis, intuentem monet. *n*) Scite hoc exprimere veteres voluerunt, per fabulam culicis taurum pungentis: ut fortiſſimo cuique, etiam ab invalido, periculum ſit, ubi hic oportune occaſionem datam captare ſciverit. Vires autem ſunt vel *animi*, vel *corporis*, vel *rerum externarum*: in quarum applicatione ad uſum, probe attendendum eſt, utrum quæ opera ſuſcipienda ſunt, poſſibilia ſint, an nimis ardua & impoſſibilia, utrum curioſi-

n) *Senec. Epiſt.* 22.

curioſitatem magis ſapiant, & fructum promittant perexilem. *o*) Tuum vero eſt exinde proſpicere, quomodo agendum ſit. Omnia hæc tamen parum proſunt, niſi occaſio, a fortuna data, efficaciter illa promoveat, ſecundum ſapientiſſimum illud Salomonis dictum. Annibal in Italia manum circumduxit, magis latronum cætui, quam juſto exercitui ſimilem: contra quem 80000. Romanorum lectiſſimæ juventutis, conſul Varro, una cum L. Paullo, ad Cannas, in aciem produxit. Annibali, qui in omnem imminebat occaſionem *p*) ecce quam lautam, in ipſo ardore conflictûs, fortuna ſubminiſtravit. Error equitibus Romanis eſt mirus oblatus. Paullum eqvus vulneratus excuſſerat. Tum ex cohorte ejus, alius poſt alium, omiſſis equis, ut con-

o) *Bac. Verul. de Augm: ſcient. lib. 2. præfat. p*) *Plutarch. Fub. M. p.* 180. 183.

ut consulem protegerent, ad pedes descenderunt. Id cum reliqui equites perspexissent, tanquam signo dato, ex equis omnes devolantes congrediuntur cum hostibus. Quo viso, Annibal, τῦτ', ἔφη, μᾶλλον ἠβουλόμην, ἢ εἰ δεδεμένους παρέλαβον. i.e. *Hoc*, inquit, *malim*, *quam si vincti mihi traderentur*. Unde strages Romanorum secuta est, post hominum memoriam, inaudita: nam 50000. una cum Consule Paullo, cæsa fuere, 4000. capta, & sub pugna, in utrisq; castris, non minus 10000. Varro solus, cum paucis equitibus, perfugit. *q*) Et tantam ea victoria conversionem fecit Annibalis rerum, ut qui ante hoc prælium, non urbem, non forum, non portum haberet in Italia, sed difficulter & ægre necessaria suppeditaret suis, rapiendo, nullo firmo ad bellum gerendum parato subsidio, sed palam castra, in modum ingentis

q) *ibid. p.* 183.

gentis latronum catervæ, huc illuc circumferret, totam tunc pene Italiam ditionis faceret ſuæ: ut ad eum cum plurimæ & maximæ gentes ultro deficerent, tum illam ipſam, cujus plurimum, ſecundum Romam, pollebant opes, Capuam, ſuarum faceret partium. At idem ille, quam turpiter optimam exinde occaſionem dimiſit e manibus. Nam cum amici, ut inſiſteret fortunæ, unoque agmine, cum fugientibus hoſtibus, irrumperet in urbem, incitarent, (die quinto enim victorem in Capitolio epulaturum) ille ad Capuam, & tepentes fontibus Bajas, hærens, otio & deliciis, ac libidinibus, robur aciei ſuæ turpiter fregit: r) ut Plutarchus quidem haud facile, quæ illum a tanta victoria averterit, inire poſſit rationem: ἀλλὰ μᾶλλον δαίμονός, ἢ θεοῦ τινος ἐμποδὼν σάντος, ἔοικεν ἔργον, ἢ πρός τοῦτο μέλλησις αὐτοῦ καὶ δειλίασις γενέσθαι.

r) *Flor. lib. 2. cap. 6. Liv. l. 22. cap. 51.*

γενέσθαι i. e. *quin potius fortuna, vel Deus quispiam, qui illi obstaret, eam ei injecisse cunctationem & dubitationem videatur* s) Romanis sub M. Marcello Syracusas obsidentibus, ubi machinas suas & tormenta Archimedes admovit, adversus eam vim consistere poterat nemo; sed tanta trepidatio cepit Romanos, ut si vel funiculum, vel exiguum lignum, ex muro conspexissent, eo ipso machinam aliquam movere in ipsos vociferantes Archimedem, terga verterent fugerentque. Ceterum cum festum Dianæ Syracusani agerent, eum articulum captavit Marcellus, ut Syracusanos *in vinum* lusumque effusos expugnaret: qua etiam confusione Archimedes ipse, formis suis, ac demonstrationibus, & animo & oculis intentus, indigna nece interemtus fuit. t)

s) *loc. cit. in Fab Max. p.* 184. t) *Plutarch. in M. Marcell. p. m.* 307. 308.

CAPUT TERTIUM.

§. I. Occasionem ad vitam tam publicam quam privatam referri, demonstrat.

§. II. Utrobique considerari debere status personarum vel rerum incrementa.

§. III. In vita Privata occasioni multa debere res æconomicas.

§. IV. Secus se rem habere in illis, quæ nobis invitis imponuntur.

§. V. Ad quæ declinanda, circumspectam valere prudentiam.

§. VI. Illamque in omnibus adhibendam esse, cujus partes ac officia recensentur.

§. VII. In ipso denique modo agendi, magnum momentum situm esse.

§. VIII. Permagni interesse demonstrat, ut prima negotiorum principia circumspecte & prudenter eligantur.

§. IX. Per connubia & affinitates, occasionem fortunæ faciendæ, sæpe dari.

§. X. Nec non per favorem Potentiorum, & egregia facinora.

§. XI. In commerciis magnam esse occasionis vim & efficaciam.

§. XII. In vita quoque publica, de salvo statu imperiorum ac rerumpubl. multa illi deberi.

§. XIII. Hinc Rempubl. ut navigium, e ratione tempestatum moderandam esse.

§. XIV. Consilia, quæ diu perficienda sunt, tempestive inchoanda.

§. I.

QVemadmodum autem res, rerumq; eventus, ad vitam vel *publicam* vel *privatam*, illamque vel *civilem* vel *militarem* referuntur; ita quoque occasio ad quemvis statum, & vitæ professionem, vim & efficaciam suam exporrigit, semperque aliquid cum hisce commercii habet. Quomodo enim actio aliqua, vel sors, felix & fortunata, vel secus, esset unquam, deficiente ad hoc ipsum occasione? quid denique omnis ars, doctrina sapientia, experientia, & conatus quilibet valeret, absque opportunitate rei gerendæ? Sane sicut indole renitente naturali, invitaque Minerva, omne majoris momenti negotium, frustra suscipitur, quantumcunque operis & pretii impendas: ita quoque sine hac, intempestive, magnas res moliri, non aliud est, quam oleum & operam perdere: haud aliter ac piscari in aëre, vel in flumine venari.

§. II.

Ceterum in utraque, tam publica quam privata vita, considerari debet, vel *status personarum* vel *rerum incrementa*. Sic cui cura reipublicæ demandata est, ei omnino incumbit observare, qua origine singula in civitate ceperint, unde robur & firmitatem, noxam vel damnum acceperit, quasque passa fuerit mutationes: item diligenter inquirere, quæ circa bellum & pacem, leges & decreta, vectigalia & reditus publicos, qui sunt reipublicæ nervi, quorum indiget, & quorum superflua est, &c. attendenda & emendanda sunt. *u*) Item in illo requiritur, non tantum notitia eorum, quæ domestica sunt, sed & ut earum rerum, quæ foris in aliis civitatibus geruntur, non sit ignarus. Ita in utraque vita observandum & illud est, quemadmodum

u) *vid. Conring. de prudent. cap. 9 & 12.*

modum una eademque res, non omnibus ad utilitatem apta est; sic neque eadem omnibus esse honesta atque turpia x) non omnia omnibus convenire, alia plerumque aliis expedire & placere. Hinc delectus cumprimis habendus locorum, temporum, rerum & personarum, quarum ratio interdũ permittit jubetq́, quod alias nefas habetur.

§. III.

In vita privata, quantum res œconomicæ, aliæque, occasioni debeant, haud facile dixerim: testatur hoc quivis sollers agricola, qui omnem rustificationem, in agriculturis, sationibus, insitionibus, messibus, vindemiis &c. ut antea a nobis dictũ est, justo tempore exercere, maxime añititur. Medico quis negat in danda medicina incumbere, ut tempestivitatem probe observet: nam *temporibus medicina valet* y) con-

x) *Corn. Nep. præfat.* y) *Ovid. de remed. amor.*

tra autem, immatura medicina quid magis in morbis damnosum? Ita si quis ad fores principis supplicem vocem mittere, nec irritus spei abire cupit, valde e re est id tempus observet, quo remissior animo, lætus & indulgentior esse solet: quod ad successus petitionum insigne momentum habet. Plurimos autem, tempore minus apto adeuntes, repulsam ferre, constat. Ita tradunt historici, Vespasianum, eo tempore, in exaudiendis supplicantum precibus, facillimum fuisse, quo in balneum & triclinium prodibat: illamque occasionem, a domesticis, aliisque, valde optatam & observatam fuisse. Exemplo mihi hac in re obvenit haud inepte Musicus, cui cura maxime est, de recto temporis puncto, & in incipiendo & claudendo, nec non interstitiis, quæ *pausæ* illis vocantur, observandis, alias tota perditur harmonia: vel pueri, qui dum ludo illi, quem

quem vocant, Gidma bo / tempus ſibi ad recreationem animi & corporis datum, impendunt, quam accuratiſſime illud momentum temporis circumſpiciunt, quo cuſtos ille loci conventi exſpatiatus eſt: dum ſubito impetu irrumpentes, & locum occupantes, de victoria gloriantur.

§. IV.

Secus autem ſe res in illis habet, quæ nobis invitis, & velut fato quodam inevitabili, imponuntur, utpote malis damnoſis, pœnis &c. hic enim locum habet illud Germ. Hencken hat kein haſt/ Svet. Han kom tid nog/ ſom hängdes wid lius: nunquam enim, ad talia ſubeunda, deeſt occaſio, ſed æque commode hieme, & æſtate, hodie quam craſtino die, fiunt. Ad quæ evitanda optime ſibi conſulit, qui occaſionem maletaciendi evitat: quod æque neceſſarium eſt dogma, ac bonæ occaſionis ductum ſequi. Sic tradi-

tur ancillam quandam heram ſuam interrogaſſe, quare omnem ſupellectilem, omniaque ſua bona, ei, ſeris occluſa, ita abſconderet, ut non intueri, nedum tangere ea liceret, idque hiſce verbis indignatam: An ego ſum fur? cui illa reſpondet, hoc ideo facio, ne poſthac fur evadas, ſi vel maxime huc usque non fuiſti: non enim ignoravit occaſionem ſæpe furem facere. Res enim alias bona, vel indifferens, occaſionem peccandi homini ſæpe ſubminiſtrare poteſt, & ſic origo mali per accidens evadit. Sic divitiæ multis noxiæ ſunt, quæ per ſe bonæ eſſe poſſunt; Scythis autem ignotus pecuniæ uſus, ignota ſic quoque avaritia, quia ibidem divitiarum cupido eſt, ubi & uſus. z)

§. V.

Multum vero, etiam in his talibus declinandis, valet circumſpecta prudentia; ubi debita vigilantia

z) *Juſt. l. II. c.* 11.

tia tempestive adhibetur, ad mala imminentia indaganda, iisque detectis vias omnes præstruendas; ne in effectus, nobis, aliisve exitiabiles, erumpant. Ad quod sæpenumero occasionem optimam fors dextra, velut ex improviso, exhibet: quæ semel neglecta, graviſſimas post se consequentias trahit. Cum, de evertenda urbe & republica Romana, factiones agitabat Catilina, nisi tempestive Romani M. T. Ciceronem consulem creassent, & nisi hic quoque insidias sibi paratas, quas per Fulviam callide expiscatus erat, tempestive avertisset; imprimis vero, nisi ea nocte, qua cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad eum C. Cornelius & L. Varguntejus decreverant, hos janua prohibuisset, a) actum, procul dubio, & de ipso & universa Roma fuisset. Haud minus detestanda erat conjuratio, o-

a) *Salust. bell. Catilin. cap.* 26. & 20.

mnium, quæ recentioris & priſci ævi temporibus memorantur, conſilio, audacia, immanitate, maxime admiranda, quam quidam Romano-Catholicæ ſuperſtitioni addicti, Londini in Anglia, adornaverant: ut pulvere nitrato Veſtmonaſterii domui, in qua comitia regia celebrantur, ſubjecto, & in cellam, quæ throno regali fere ſubjecta erat, congeſto, Regem Jacobum, cum familia maſcula, & toto Parlamento, ejusdem ruinæ involverent ruderibus. Rex vero ſapientiſſimus, ex literis, incerto auctore, ad Montaquilium regulum perlatis, præcipue ex verbis hiſce: *Terribilem conventus iſte ictum ſentiet, nec videbit percutientem: quippe præterierit periculum haud ocyus, quam literas has exuſſeris*, quid monſtri in iis lateret, oportune conjiciens, quod reliquis, ne ſomniando quidē, in mentem venire poterat, & ex mera ſagacitate animi ſui, ad inquiſitionem in cella, quam conjurati

rati ſub Parlamento conduxerant, & triginta ſex tonnis pulveris nitrationeraverant, inſtituendam permotus, re opportune detecta, & pœna promerita de parricidis ſumta, conſpirationis monſtrum, & inde periculum imminens, velut in puncto, avertit: cui ſimile nulla tellus, nulla ætas aluit: quo Rex cum Regina, parentes cum omni ſobole, ordines totius regni, totum denique regnum, & in eo innumeri innocentes, ut paucorum furioſorum libidini litaretur, uno momento deſtinabantur. *b*) Plura exempla principum, qui miris interdum modis, opportune ab imminente exitio ſervati fuerunt, videri poſſunt apud Richterum *c*) & Chriſt. Andr. Brunnerum *. Ex adverſo memorabile eſt exemplum Alphonſi VI. Regis Portugalliæ, qui

b) *Thuan. lib.* 135. *Hiſt. ad Ann.* 1605. 1606. *c*) *Axiom. Polit.* 117. * *de Fato Theolog. Hiſt. p.* 2. *c.* 10. *ſect.* 27. §.

qui feris ſuis & principe plane indignis moribus, cum in civium odium incurriſſet, de eo principatu exuendo, ipſa conjux ejus Maria Franciſca Eliſabetha, cum fratre ejus Petro, & proceribus, imprimis cum præfecto Schombergio, conſpiravit. Accidit autem, ut Regina quodam die in miſſam itura, literas, quas a Schombergio de hac ſcena inſtituenda, accepe-rat, in menſa gynæcei oblita eſſet; quas Rex paullo poſt ſuperveniens vidit, ſed legere neglexit: quibus perlectis, totam fabulam pernoſcere potuiſſet. Itaque hujus tam lautæ occaſionis neglectæ graviſſimas pœnas luit: nam adulta exinde conſpiratione, ipſe animo plane fractus, ne quidem manus, ad aliquem factioſorum in vincula conjiciendum, movere potuit; ſed regno exutus, & ſummo mane, de lecto, in carcerem perpetuum abſtra-

abſtractus fuit. *d*)

§. VI.

Prudentis itaque eſt, ex occaſionibus fructum decerpere : *e*) requiritur enim utrobique, & in publica & privata vita, ſingularis prudentia, uſu & experientia parta: quæ ab Ariſtotele *f*) dicitur eſſe, *virtus mentis, qua de bonis ac malis, quid ad felicitatem pertineat, bene poſſumus conſulere* : eaque efficit, ut omnia conſilio atque ratione agantur. A Cicerone dicitur *eſſe ſcientia opportunitatis idoneorum ad agendum temporum.* *g*) Hæc bona malaque, & quæ in vita eligenda ſunt, vel fugienda, diſcernere, præſentibus bonis honeſtis uti, eorumque experientiam habere, opportunitates percal-

d) *vid. Relations de la Cour de Portugall par Vertot. p.* 163. *& Budd. Colleg. Hiſt. Eccleſ. MSct ab An.* 1689 *ad An.* 1714. *p.* 152. *Joh. P.* Ludwigs Erleut. *c.* 3. §. 7. *e*) *Fr. Guicciard. hiſt. l.* 4. *f*) *lib. I. Rhetor. g*) *Cic. de Off. lib. I. c.* 40.

percallere, præterita meminisse, præsentia considerare, futuraque conjectare docet. Quemadmodum enim ea, de quibus quæstio instituí solet, vel præsentis, vel præteriti, vel futuri sunt temporis; ita ex conclusionibus quoque & experimentis plurima deducuntur, ut possis de re aliqua pronunciare, se habituram, prout hactenus se semper habuit, ut loquitur Conring. *b*) & paullo post: *Etsi enim, quæ jam præteriere, non solēt in aeliberationē trahi, frequenter tamen in futurum haud probe consulere possis, nisi noveris, qua ratione, vel constituta vel corrupta, vel correcta antehac fuerint eadem, de quibus disquiritur, & deliberatur.* *i*) Prudentis autem partes ac munera, Jovian. Pont. recenset esse, & antequam aggrediatur aliquid, & postquam est aggressus, diu multumque & simul omnia considerare, & dis-

b) de prudentia civil. i) idem Conring. p. 236.

"& discretim etiam ſingula pro-
"videnterque proſpicere, & quæ
"neceſſaria viſa ſunt, apparare,
"ac nunc cunctari, nunc feſti-
"nare, nunc inſiſtere, nunc cedere,
"modo incaleſcere, modo refrigere,
"introrſus res ipſas perſpicere, ad
"ſingula intentum eſſe, obſerva-
"re tempora, loca, perſonas, res,
"negotia, inter ſeque discernere,
"vertere etiam ſeſe, ut caſus, fortu-
"na, rerum eventa inopinatique
"exitus tulerint, ac nunc ſimula-
"re, nunc diſſimulare, modo ne fi-
"at dolo malo, ſollicitari animo, ca-
"vere ad paſſus ſingulos, ne con-
"cidat, diligentiam ubique ſummam
"retinere, cum primis adhibere de-
"lectum, nec a ſe ipſo discedere.
"Quæ præcepta ſervantem, & intra
præſcriptum rectæ rationis ſe co-
hibentem, licebit prudenter, pu-
blice & privatim, cunctis in nego-
tiis & inceptis ſeſe gerere, atque
ſingula, quæ ditioni ſuæ ſubjecta ſūt,
omnium

omniũ cum commendatione admi-
niſtrare *k*) Quo etiam referri pos-
ſunt, quæ idem Jov. Pont. de vigilan-
"tia monet: Ut ſc. dormientibus ac
"ſomnolentis tempus fruſtra elabi-
"tur, ſuntque ipſi fraudibus expo-
"ſiti atque inſidiis; ſic ex contra-
"rio, vigilantibus nullum tempus,
"nullum momentum, fruſtra ela-
"bitur: minime autem dant ipſi lo-
"cum aut deceptioni incidiisve,
"aut ocio ac deſidiæ: quemadmodũ
"in bello etiam copiarum duces, re-
"rumque adminiſtratores, in hac
"ipſa vigilantium fide, cuſtodia &
"diligentia, ſuam totiusque exer-
"citus ſecuritatem & ſalutem, no-
"cturno præſertim tempore, collo-
"care videntur. *l*) Probe itaque ob-
"ſervandum ducimus tempus, quod
*meliores, prudentiores, & conſtantio-
res nos reddere debet, m) ejus autem ja-
ctura*

k) *Jovian. Pontan. de prudent. l. 4. p. 389. l*) *vide auct. citatum de vigilan-
tia. m*) *Livius Decad. 3. l. 2.*

ctura damnosissima est, n) utut a multis nihil vilius tempore habeatur, somno, temulentia, nugis, alea, verbis otiosis, fritillo, chartis lusoriis, aut vanitatibus ejusmodi aliis, maximam ejus partem perdentibus, qui idcirco fures temporis merito dicantur. Nunquam autem tempus suis coërcitum angustiis retinere, vel præteritum revocare poteris, nisi, a fronte, properanti occurrens, in usum convertas tuum.

§. VII.

Prudentiam ita generaliter a nobis, pro ratione instituti, delineatam, tripliciter dividit Verulamius, *o)* in prudentiam *conversandi*, *negotiandi*, & *rempubl.* vel publ. negotia *administrandi*: quæ tres species ad ipsum *modum agendi*, supra a nobis nominatum, pertinent. Adeoque utcunque occasio optima adpareat, utut objectum conveniens, locus,

n) Plut. in Antonio. o) de Augm. scient. Lib. 8. cap. 2.

tempus, viresque adsint, ceteraq
requisita, quæ bonum & prosperum
effectum promovebunt; attamen
in ipso modo procedendi grande
momentum situm est: ne si rudis,
& illotis manibus, ad opus fortunæ
fabricandæ accedas, occasionem
datam nefarie perdas. Contra ve-
ro, quicunque bonis modis proce-
dit, caute & scienter omnia obser-
vat, quæ ad occasionem datam ca-
pillis tenendam requiruntur, is fa-
vore ejus, etiam ubi adversa & con-
traria de cetero videntur omnia,
perfrui, optatum successum adsequi
potest. Ex hoc ipso (modo agendi)
manifesto elucet, utrum sapientia
tua in verum habitum increverit
& maturuerit, an vero tantum na-
tet in cerebro & concepru, aut ser-
mone jactetur, sed radices altas
non egerit. Siquidem prior, obla-
ta occasione, in qua exerceatur, illi-
co excitatur, accingitur, dilatatur:
adeo ut se ipsa major videatur. Po-

ſterior vero; quæ ante occaſionem alacris erat, occaſione data, fit attonita & confuſa: ut etiam ipſi, qui ea ſe præditum arbitrabatur, in dubium vocetur, annon perceptiones de ea fuerint inſomnia mera, & ſpeculationes inanes. *p*)

§. VIII.

Ceterum nusquam major adparet ſapientia, quam in tempeſtivis negotiorum auſpiciis principiisque eligendis, ſecundum tritum illud: *Dimidium facti, qui bene cæpit, habet.* Multa enim aleæ & periculi plena, cum multis moleſtiis conjuncta adparent, quæ tamen facile expediri poſſunt, ubi latis circumſpecte & prudenter prima initia facta ſunt: ubi opportunitatis maturitas vel immaturitas, ad amuſſim examinata fuit. *q*) Sic in iis, quæ ex gratia & favore aliorum, in converſatione quo-

p) *B. Verulam de Augm. Scient. Lib. 8. c. 2. parab. 32.* *q*) *Bac. Verul. Serm. Fidel. 21.*

quotidiana & convictu dependent, non parum interest, qualem de se opinionem quisque excitaverit: quæ sive bona & dextra, sive prava & siniſtra fuerit, diu animis hæret, ut ægre illam inde avelli patiantur homines: *r*) adeoque omni opera in id incumbendum, ut quantum honestas permittit, studia aliorum & benevolentiam captet, saltem boni viri opinionem tueatur. Ubi vero res cum magno discrimine, ab aliorum vel æmulatione vel hostilitate conjuncta est, occultanda sunt consilia, & ubi opportunitas maturuit, celeritate utendum, in expediundo; ita ut ab altera parte temeritas vitetur, ab altera socordia. Callide hoc observavit Sejanus in aula Tiberii, qui incipiente adhuc potentia, bonis consiliis notescere volebat, nec sine ratione considerabat *primas dominandi*

r) *Id. de Augm. Scient. Lib. 8. c. 2. Parab. 17. & 30.*

manch spes in arduo : ubi sis ingressus, adesse studia & ministros: s) scilicet, ubi portæ patentes dominationis dabantur, cum personam Principis in manibus habebat, ut de illa pro lubitu disponere, in quasvis partes illam circumducere posset, prout ad illa Taciti verba commentatur Traj. Boccalinus. *t)* Hic etiam exempli loco Principem Auriacum adducit, qui cum partes confœderatorum Belgarum, contra Hispanos, susciperet, ut ducem se iis, in jugo excutiendo, præberet, negotium suscepit, non solum multis maximis periculis, sed & desperationi vicinum: ut Regi ditionibus & potentia maximo, arma opponeret. Ceterum probe antea pensitatis omnibus, mature rem aggressus, illam facillime expedivit, occasionem nactus ex publ. odio, quo omnium ordinum homines, in fa-

 stum

s) *C. Tacit. Lib. 4 Annal. cap. 7.*
t) *Bilanc. Polit. part. I. p. 301.*

ſtum & inſolentiam Hiſpanorum, imprimis ducis Albani, terebantur: & adhuc magis ex favore aliorum Principum, quibus haud ingratum accidit, turbari res Hiſpanorum in Belgio, ut nimia eorum potentia, civilibus motibus domi occupata, ſenſimque attrita, ab infeſtandis exteris interea detineretur: omnium maxime, ex tributo intolerabili Belgis injuncto: quod ut propria cujusque jactura ducebatur, ita ex æquo omnes accendit. Hoc initium vero effecit, ut vires ſuas mari Hollandi Zelandique diſcerent. *u*) Unde cum de hac poſtrema rebellionis occaſione quereretur, ſcribens ad Margaretam Parmenſem Ducem Namurcenſis Epiſcopus, ad extremum confitetur; *Hoc decimæ vigeſimæque pretio, emtas eſſe Orangio maritimas Provincias, novumque Principatum.* *)

§. IX.

u) *Schurtzfleiſch. diſſ. de Charact. Event.* §. 52. *) *Fam. Strad. de Bell. Belg. Dec. I. Lib. 7. pag. 357. & 362.*

§. IX.

In vita communi occasionem fortunæ faciendæ, sæpe dari videmus, per connubia, affinitates, favorem potentiorum, facinora insignia &c. quæ si negligatur, vix denuo dabitur. Quocirca proverbium illud Græcis usitatum, μὴ χάλε, κὴ λήψῃ, quo indicare voluerunt, multa quietis obtingere, quæ negentur eadem per ignes & ferrum affectantibus, huc optime adplicari potest: adeo ut fortuna indulgentissima quibusdam mater, aliis dura sævaque noverca videatur. Connubiis contrahendis miras interdum & insperatas occasiones dari, historia tam sacra, quam profana, æque ac quotidiana experientia testatur, ut constet, *conjugia esse fatalia.* Plurima hanc in rem exempla adducit Christoph. Andreas Brunnerus *y*), ex quibus

y) *de Fato Theologico Hist. part. I. cap. 10. sect. 3. §. 3.*

inter alia concludit, ſæpe numero fieri, ut vir egenus, ſed egregiis moribus, ingenio & ſcientia præditus, ne obſcurus & ignotus vitam agat, occaſionem captet matrimonii ineundi cum uxore, formâ, genere vel opibus bene dotata, & vice verſa: unde utrique, proſpere evenit, ut mulier viri egregiis dotibus, & inde creſcentibus meritis, ille uxoris amœnitatibus contentus eſſe queat. Abigail lectiſſima femina, quæ Nabali moroſo homini & morioni nupſerat, quam opportune Davidi occurrit: ut ſua prudentia ſvaviisque maritum, omnemque familiam ab interitu vindicaret, illoque per divinam vindictam abrepto, Davidis uxor fieret. z) Idem etiam plurima exempla adducit utriusque ſexus; ut Henrici III. qui mira occaſione Conradi imperatoris gener, a quo morti deſtinatus erat, & deinde in imperio ſucceſſor factus;

Primis-

z) 1. *Sam.* 25.

Primislai, qui ex ruſtico per connubium Lubuſſæ, Princeps evenit. Spectaſſe aliquid ſimile Canulejus tribunus plebis Romæ videtur, quando ſimul legem de conſulibus ex plebe faciendis, & connubiis patrum cum plebejis rogaret: in quam rem ita, apud Livium, *a*) conſules alloquitur: *Parata vobis plebs eſt, ſi connubiis redditis; unam hanc civitatem tandem facitis, ſi coaleſcere, ſi jungi miſcerique vobis privatis neceſſitudinibus poſſunt: ſi ſpes, ſi aditus ad honores viris fortibus datur: ſi in conſortio, ſi in ſocietate reipublicæ eſſe, ſi quod æquæ libertatis eſt, invicem annuis magiſtratibus parere atque imperitare licet.* Quod ſi hæc impediret aliquis, minatur, quod *nemo ſit dimicaturus pro ſuperbis dominis, cum quibus nec in republ. horum, nec in privata connubii ſocietas eſt.* Per connubia Ferdinandi, Arragoniæ regis, cum Iſabella, &

a) *Lib. 4. cap. 4.*

deinde Joannæ filiæ ejus, cum Philippo Archiduce Auſtriæ, Hiſpanica potentia tantum crevit, ut formidabilis toti Europæ eſſet. Haud denique rara exempla conſpiciuntur, præſertim inferioris ſexus, quibus, occaſione fortunæ per conjugia faciendæ imprudenter dimiſſa, nihil poſt teſtum dulcius eſt, quam refricari memoriam ejus temporis, quo a procis ambiebantur.

§. X.

Idem de gratia potentiorum valet. Ita inſperata occaſio ad majora emergendi Abdolonymo oblata eſt, dum invitus, exigua hortum quendam colens ſtipe, illuvie & ſordibus plenus, otia alias præferens regno, ad quod aliis interdum per cædes & incendia graſſari, patriam, penates, conjuges, ceteraque omnia in caſus & præcipitia dare, parum eſt, ſubito Rex Sidonum ſalutatus eſt, vitæ necisque omnium dominus factus; ideo quod regiæ ſtirpi,

ſtirpi, quanquam longâ cognatione, junctus deprehendebatur. *b*) Quam occaſionem, ſi moroſus & pervicax elabi ſibi e manibus paſſus fuiſſet, etiamſi deinde vel cenſies ad regiam ſtirpis ſuæ originem provocaſſet, illa nihilominus ſurdas ipſi aures, & calvum occiput advertiſſet. Ita permultos ignobilibus natos parentibus, & a teneris caprarum contubernales & cuſtodes, occaſionis beneficio, ad ſummum dignitatis faſtigium evectos, hiſtoria teſte, compertum habemus. Apud Turcas haud inſolens eſt, ut ex fece vulgi coqui, ſtabularii, aliique de grege militum & ſervorum, ad magnas dignitates emergant: cum apud eos nobilitas hereditaria non ſit. Apud Perſas notabile eſt exemplum cujusdam aſinorum ductoris, quem Schach Sefi, Rex, nobilem, dein ſocerum ſuum fecit; cui inſperatæ promotioni, potio

b) *Q. Curt. lib. 4. cap.* 1.

tio aquæ frigidæ, quam aſellarius iſte, Regi in venatione porrexerat, occaſionem dedit *c*). Aliosvidemus ad magna natos, ingenii acumine felices, præpollentes; cum autem auctoritate, gradu, opibusque & aliis requiſitis virtuti ſuæ paribus deſtituuntur, negligi & nihili duci: ſi vero fortuna illis aliquando affla verit, & ingenii ſui dotes declarandi exercendique occaſio data fuerit, inſperato animi ipſorum generoſitas in lucem erumpit, quæ, ab humilitate fortunæ, antea quaſi tenebris oppreſſa jacebat. In hiſtoria Sacra Joſephi, Mardochæi & Danielis prophetæ, inſignia hanc in rem exempla ſunt *d*). Apud Anglos Thomas Cromvell fabri ruſtici filius a Cardinale Wolſey, ob egregias ingenii dotes, in miniſterium receptus, hinc graviſſimis publ. negotiis

c) *Chriſt. Andr. Brunnern de fato Theol. hiſtor. p.* 1. *cap.* 10 *ſect.* 2. §. 12.
d) *Gen. c.* 41. *Eſth.* 6 *&* 8. *Dan.* 2.

tiis admotus, post ejus mortem, a Rege Henrico VIII. ad secretiora consilia admotus, tandem Comes d'Essex & Cancellarius Angliæ factus est. Per artes bellicas olim Maximinos, Marios, Sullas, Plautianos, recentioribus temporibus Wallensteinios, Dorflingios, Bouflerios pluresque ad summas dignitates emersisse accepimus. De omnibus autem & singulis recte dici potest: neque cuiquam tam clarum statim ingenium est, ut possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor commendatorq; contingat. His tamen incumbit cavere, ne candidati cetera inepti, ac publico munere indigni, officiis, non sine damno reipubl. aut ecclesiæ præficiantur: quemadmodum Pontifices Romani suæ familiæ prospicere laborant, ad sum̃os honores evehendo cognatos; prout peculiari libro, cui titulus est Nepotismus Romanus, docetur *e*).

§. 11.

e) *Rechenb. Dissert. de Promot. ad Munera publ. c. 3. §. 4.*

§. XI.

In commerciis denique plurimam occasionis vim & efficaciam esse, quis negaverit? Namque cum in hisce prudentiæ non minus quam fortunæ locus sit, quicunque circa res in commercium venientes, versatur, qui emit, vendit, negotiatur, tempus explorat & noscit. Emtor enim captat tempus, ut emat parvo, & ne nundinarum opportunitatem se præterire patiatur, tempestive fora rerum venalium adit frequentatque. Venditor rursus maxime sollicitus est, ut, dum quibus mercibus quælibet gens indiget, exploratum habet, eas advehat, & magno, dum caritas est, vendat: nec cessat, quamdiu libertas & navigationis securitas adest, navigia sua penitus instructa habere: ut justo tempore, cum finitimis, omni commerciorum jure misceatur. Ubi autem videt tempestatem minus commodam, loca incerta, imperitiam

tiam illorum, qui navibus præsunt &c. remoræ sibi esse, portum mox repetens, opportunum & idoneum exspectat tempus, cujus vis in hisce, si unquam, magna est, sæpeque utramque paginam facit. Callide hoc observarunt Hollandi, cum Batavus ille Corn: Houtemannus, qui, per annos plurimos, Hispanis & Lusitanis mercatoribus, in Indiam navigantibus, ministerium suum ac fidem probaverat, a Turcis tandem captus, e carcere liberari non potuit, nisi immensi pretii lytro persoluto. Tunc subsidium Amstelodamenses aliquot mercatores ei præstiterunt; ea lege, ut in patriam reversus, arcana omnia, leges & commoda Hispanicæ navigationis in Indiam, aperiret ac revelaret. Unde tum cognitum est, mercaturam in India exercentibus certum lucrum, nomine expensarum quinque sexve florenorum, centum prope florenorum esse. Hinc permoti ordines fœderati Belgii, summâ sexaginta

ginta quatuor tonnarum auri collatâ, generalem ſocietatem navigationis, in Orientalem Indiam, inſtituerunt: cui ſub initium ſtatim ſucceſſus ampliſſimi non defuerunt. Nam partim permutatione mercium, quas Batavi viliſſimas in Indiam deportabant, ut ſpecula, plumas, orbes aut globulos vitreos, denique pupas, aliasque ejusmodi quisquilias, Norimbergæ potiſſimum in Germania ex cupro, ligno, aut alia vili materia affabrefactas, quibus incredibile dictu eſt, quantum barbari illi delectantur, reportatisque mercibus omnium pretioſiſſimis, ut ſerico, margaritis nobilioribus, aromatibus, & ſi quæ ejus generis alia ſunt; partim caſtellis aliquot Luſitanorũ Hiſpanorumque feliciter expugnatis, factum eſt, ut primo ſexennio exacto, capitalis ſumma, præter factam in participantes reportati lucri diſtributionem, ad plus quam 300 tonnarum auri ſummam aucta eſſet; plurima

plurima ampliſſima, ditiſſimaque regna partim vi ſub ſuam redigerent poteſtatem, commerciorum in iis exercendorum cauſſa: partim donis fœderibusque ſic ſua facerent, ut excluſis Hiſpanis Luſitanisque, ſibi ſolis referrent poteſtatem commerciorum in iis exercendorum. *f*)

§. XII.

In vita publica, de ſalvo ſtatu & flore imperiorum ac rerumpubl. eorumque, qui cum imperio ſunt, multa occaſioni debentur. Negligentis autem eſt, prætermittere illam, quæ firmandæ augendæque potentiæ expedit: dum erepta crefcendi materia, & occaſione neglecta, mora inutili fortuna corrumpitur: prorſus ut non ultima hic prudentiæ regula ſit, *Occaſioni inſervire:*

f) *Comment. de ſtat. Fœder. Belgii cap.* 25. §. 4. 15. 27. & 28. *Mart. Schoock. Stat. Reipubl. Fœder. Belg diſp.* 4. §. 51. 54 & 115.

re: præſertim cum in rebus civilibus bis peccare non liceat. Valet hoc de regno tam adeundo, quam firmando & amplificando, idque utroque, tam belli quam pacis tempore. Quid aliud maxima in orbe imperia & regna, quæ vel olim floruere, vel adhuc florent, ad faſtigium potentiæ tam formidabile evexit, quam quod imperantes occaſionibus vel ſponte ſeſe offerentibus, vel ex aliorum ſocordia, imbecillitate diffidiis, & quæ alia ejusmodi mala parentes infortunio portas aperire ſolent, datis, ſcite & promte uterentur. Petrus Arragoniæ Rex, venientibus ad ſe Siculorum legatis, qui regni capeſſendi auctores fuerunt, eorum voluntate perſpecta, occaſionem minime negligendam putavit. *g*) Contra ſapientiſſima Anglorum Regina Eliſabetha, delatum Fœder. Belgii principatum rejecit;

g) *Schurtzfl. Diſſ. de Charact. Event. Controv. 4. §. 7.*

rejecit: quem poſtea obnixè affectavit, ut vel ſic neglectæ occaſionis damnum ſarciret, ſed fruſtra. *h*) Notiſſima res eſt, ad quod faſtigium potentiæ devenerit monarchia Francorum, conſiliis Regis Ludovici XIV. quod adſequi non potuiſſet, niſi prius ſedatis turbis civilibus, cujus rei initia ab expugnatione Rupellæ repetit Gramondus: *i*) adeo ut exciſa hac vomica, ſuo arbitrio regere ſubjectos poſſet, atque eo eſſet ſtatu, ut neminem eorum vel amare vel metuere cogeretur. *k*) In illum finem nec minus referre, rerum civilium peritos monent, quali conditione ſint finitimi, quas vires habeant, quorſum inclinent, quo intendant, quo ſitu opportuni ſint, augendi an conſervandi conſilium ineant, quæ fœdera & quamobrem faciant, religionis, libertatis an metus cauſſa paciſcantur.

h) *Id. Diſſert.* 56. §. 43. *i*) *Hiſt. Gall. Lib.* 18. *k*) *Schurtzfl. cit. Diſſ.* §. 37.

tur. Ex quibus omnibus ac singulis, quomodo occasiones commodi promovendi captandæ sint, pluribus docet, exemplisque variis illustrat Schurtzfleischius. l) Sic in societate sancienda, fœderibusque circa bellum & pacem, commercia, aliasve negotiationes ineundis, circa hasce eatenus temporis momentum & ratio observetur, quatenus e re quidem est, tum fœdera & pacta societatis cum aliis non inire, cum necessitate quadam ad hoc ipsum cogi videmur, *quercu enim dejecta, quivis ligna colligit.* Sic etiam apud gentes liberas, quando jus inter subditos distribuendum est, legesve ferendæ, de quacunque re, maxime de tributis & vectigalibus, observandum est, ut non tantum modeste, sine violento impetu, & injuriis exigantur; sed & illud sciendum, leges hasce quam facillime consensum civium invenire,

l) loco cit.

nire, ſi eo demum tempore ferantur, quo ad utilitatem publicam feliciter actis, vel peragendis rebus, animi ipſorum læti ſunt, ipſique hanc neceſſitatem cum reip. utilitate conjunctam intelligunt. Patet hic Rehabeami error, qui ſua duritie, imprudentique reſponſo, decem tribubus a partibus ſuis deficiendi occaſionem præbuit. *m*)

§. XIII.

Recte itaque monent Politici, rempublicam, ut navigium, e ratione tempeſtatum moderandam eſſe; *n*) probeque cavendum, ne quis, Charybdin vitare cupiens, in Scyllam incidat: neve quod in civitatis emolumentum & confirmationem cadere debebat, in oppoſitum damnum abeat. *o*) Neque enim levitatis ſemper eſt, mutare propoſitum, & rationes conſiliorum, cum rebus

m) 1. *Reg.* 12. *n*) *Lipſ. Polit. lib.* 3. *cap.* 5. *o*) *vid. Joh. Franciſc. Budd. de Prudent. Stat. Reip.*

ipſis temporibusque convertere, ſed ſummæ peritiæ ac artis: cum in puncto ſæpe temporis, maximarum rerum momenta vertantur. Ita difficile non eſt, ad clavum ſedere & navigium regere, dum favet dies ſerenus & placidus, ventisque ferentibus, rectum curſum tenere licet: cum vero ſæva nox ingruit, & præliantes veluti invicem venti, in latus utrumque incumbunt, atque huc & illuc procellis jactamur; tum maxime, quid gubernator valeat, inquiritur: ſic quoque conſilia ad eventus temporum aptanda, & ſæpe inflectenda ſunt, quibus ulterius ſæpe, quam rationi obedire noſtræ, neceſſum eſt. Hinc Dionyſ. Cato eleganter monet *p*)

Conſtans & levis, ut res expoſtulat, eſto;
Temporibus ſapiens mores ſine crimine mutat.
Vereque prudens & ſapiens non ſemper
it uno gradu, ſed una via. q) Conſilia vero

p) de Moribus l. I. q) Lipſ. Polit. l. 3. c. 5. conf. Reinhard. Annotat. in hunc locum.

vero juſta, & reipubl. utilia, minime videntur vituperanda. Hinc quoque Miniſter ſapiens, majorem adfert laudem, qui in rebus gerendis, non tantum æquitatem mente concipit, ſed & temporis habita ratione, occaſioni ſeſe accommodat, neceſſitati præbet. Laudatur eo nomine Card. Richelius, quod non modo ingenii ſublimitate conſpicuus, experientia valens, & in omnia negotia expeditus erat; ſed & temporibus conſilia perquam ſapienter adplicare noverat. Hic, utut Religionariis, ut dicebantur Reformati, infeſtus, cum inter motus civiles, illuſtris victoria, quam Rex Ludovicus XIII, in mari Rupellano, & inſula Rhea, de illis obtinuerat, illos ad inclamandam Regis clementiam pelleret, & remedium rogitandum, ex edicto Nannetenſi, ceterisque indultis; jamque alii exiſtimarent, occaſionem admodum opportunam non dimittendam, ad

deſtruendam factionem Religionariorum; ſeſe oppoſuit: cum cerneret magis e re eſſe, ut ambitioni Hiſpaniæ per Italiam, Rhetos, per Vallem Telinam, obviam iretur: quæſi jam deſererentur, armis fatigatæ, Hiſpano creſcenti permitterentur: nec ſatis eſſe zelo temerario ob ſacra duci, regni commodis neglectis; graviſſimis rationibus permovit Regem, ut Religionariis pacem indulgeret: ut ad res Italiæ Vallisque Telinæ expeditior eſſet, addita fide, Edicti Nannetenſis permiſſa ipſis ſalva fore, promiſſo quoq; libero religionis exercitio. r)

§. XIV.

Conſilia autem, quæ diu perficienda ſunt, tempeſtive inchoanda, ætate vigente & virib⁹ integris. s) Hinc Auſonius dicit: *locare ſedes, bellum gerere, magnas vel parvas res agere volentem,*

r) *Hiſt. de Miniſt. Card. Richel. lib. 2. cap. 27.* s) *Schurtzfleiſch. diſſert. 56. §. 23. & Diſſ. 57. §. 17. 18. 19.*

lentem, meditari prius decet. Quia eum ſolum rei gerendæ aptum, qui prius meditatur rei negotium, dixit quidam ex ſeptem ſapientibus Græciæ; omniaq; conſilio prius, quam armis, expediri decet: nullum enim tempus amittitur, quod accuratæ negotiorum incipiendorum meditationi tribuitur. In hunc modum cauta conſilia, arduæ deliberationes, graves ſententiæ, rationes judicandi & conficiendi opportunæ, exemplorum recordatio, aptaque comparatio, duces & tribunos Romanos ſolebat ornare *t*). Imprudenter autem erravit Pius II. qui ſenio gravis, ad belli contra Turcas gerendi ſocietatem, omnes Chriſtiani orbis Principes invitavit; ut non multo poſt, magnus exercitus conflueret: annona autem mox conſumta, & pecuniis exhauſtis, labori & ſumtibus impar deceſſit, militibus ad ſua dilapſis, quæ expedi-

tio,

t) *ibid. Diſſert.* 56. §. 50.

tio, multis rilum movit. *w*) *Parvæ itaque ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi*, dicente Cicerone. Sapientesque & prudentes ſunt, qui, ut tempora incidunt, ſic res quoq; opportune cogitant, judicant, conferunt, & in ea parte præſtantiores imitantur, nec niſi audito prius aliorum conſilio, quicquam moliuntur; nec modo non videri, ſed etiam eſſe omnino nolunt incauti, & negligentes: nec tamen inutili cunctatione, agendi tempora, deliberandoque conſumunt, *ne* ſcil. *multæ ponderando, nihil concludant*, quod præſertim, ubi ingens periculum præ foribus adeſt, & facto non conſulto opus eſt locusve, pernicioſum eſſe ſolet. Id quod a Cethego, in conjuratione Catilinaria, reprehenditur, querente, ignavos ſocios, *dubitando, & dies prolatando, magnas opportunitates corrumpere.* *x*) Quod etiam Demoſthenem permovit, Athenienſes acriter hoc modo compellan-

tem

w) *Id. loc. cit.* *x*) *Salluſt. Catilin. c. 43.*

tem; τὸν τε πρᾴτειν χρόνον εἰς τὸ παρασκευάζεσθαι ἀναλίσκομεν: οἱ δὲ τῶν πραγμάτων καιροὶ ἢ μένουσι τὴν ἡμετέραν βραδύτητα καὶ ῥαθυμίαν. γ) i. e. *nos rei gerendæ tempora in apparando consumimus, rerum autem gerendarum occasiones non exspectant nostram tarditatem & socordiam.* Hinc insuper constare arbitramur, *quemque*, prout tempus sibi, suisque actionibus & conatibus conveniens, rite observat, & in usum suum mature convertit honestatemque, *suæ fortunæ fabrum esse*, multisque, naturam pravam, magis quam fortunam, obesse; z) homines vero plerumque fortunam accusare, dum ipsi erroris arguendi sunt, quod multa fortunæ permittunt, futuraque non modo non sapienter provident, sed præsentia etiam non recte expendunt. *

Cap. IV.

y) *vid. Mich. Piccart. Obs. Polit. Decad. 18. c. 6.* z) *Ibid. Decad. 16. cap. 10 Bac. Verulam: de Augm. Scient. lib. 8. cap. 2.* * *Schurtzfleisch. dissert. 34. §. 1.*

Viro Juveni Pereximio,

NICOLAO PACQUALIN,

De

PUNCTO OCCASIONIS

eleganter differenti:

DEtegis egregiè cunctis, occasio quid
sit;
Illius & punctum, damna lucrumve
ferens,
Panditur ingenue; sic cernitur ars tua
digna,
Pectore sollerti quam tenuisse juvat.
Hæc ut succedant, & quævis prospera
semper,
Ex animo voveo, suavis amice, tibi.
Phœbus, quod nequeo, tibi conferet ipse
vicissim,
Prosudore tuo, laurea serta, brevi.

THOMAS JEDEUR.

MONSIEUR,

COmme j'ay toujours eu en vous un ſincere & perfait ami, je me ſuis propoſé de montrer, en cette occaſion, la grande joie, que j'ay de vos progrés; je m'aſſure que tout le monde vous donnera ſon approbation & ſes applaudiſſemens, en liſant vôtre belle diſſertation, car on peut voir par la, que vous n'avés pas paſſé le temps en vain, mais que vous l'avés employé comme il faut: j'en ſuis ravi; & ſouhaitte que Dieu veuille benir vos louables deſſeins, afin qu'Appolon vous couronne enfinr' une guirlande de laurier. C'eſt ce que vous ſouhaitte avec paſſion

MONSIEUR

Vôtre trés-humble & tres obéiſſant ſerviteur,

CHARLES MAGNUS RINSTRÖM.

Præstantissimo Politissimoque
Populari
NICOLAO PACQUALIN
Notitiam Nitidam Næ Niso Nem
Negabit;
Paulo Post Pretiis Pronis Paqua
lin Potietur.
Paululum Posuit
JOANNES N. WALLWJK.

Eidem

EXiguum punctum volitans occasio præbet,
Quod satagit fruſtra prendere tarda manus.
Temporis hoc punctum, tua pagina, frater amande.
Te quoque solerter præripuisse, docet.
Ipse Deus faveat studiis & cœpta secundet:
Palladis ut tandem præmia larga feras!

Prolixiori animo quam calamo
fraterne adposuit.
AXEL PACQUALIN.

Mein Hochgeehrter Herr.

ALexander der Große hielte sich seinem Lehrmeister Aristoteli höher / als seinen eignen Eltern / verpflichtet. Denn von diesen / sprach er / habe ich allein das natürliche Leben / von jenen aber / daß ich vernünfftig und klüglich in der Welt zu leben weiß. War nun dieses unvergleichlichen Monarchen hochachtung gegen seinen Lehrmeister so groß / wie hoch werde ich denn Ihm / mein Herr / verbunden seyn / als dem ersten / der mir ein Licht zur Weisheit und Tugend / folglich auch zur Wohlfart meines Lebens angestecket / und auch noch vorträget. Gewiß / meine Liebe / Ehrerbietung / und Pflicht ist so groß / daß ich

an allem Seinem Glücke/ Ehre/ und Ruhm meine höchstes Vergnügen empfinde. Dahero mich denn nicht habe enthalten können/ selbiges an Tag zu legen/ fürnemliche bey diesem *Puncto Occasionis*, da Er durch öffentliche Bezeugung Seines Fleißes und Academischen Arbeit eine reiche Erndte an Ruhm/ Ehre und Hochachtung erlanget. Und dieses ist eben/ worüber ich mich von Hertzen freue/ das gröste Vergnügen in meinem Gemüthe hege/ und wünsche/ daß Er auch künftig an allem dem/ was seinen Zustand volkommener machen kan/ wachsen und zunehmen möge.

Meines Hochgeehrten Herrn

gehorsamster Diener

Harold Urlander.

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO Historico-Politica DE LENTA FESTINATIONE FABII;

Quam

Cum consensu & approbatione Amplissimi Senatus Philos. in Regia Academia Upsaliensi,

SUB PRÆSIDIO

Amplissimi Viri

MAG. FABIANI

ÖRNER

Eloq. Professoris Reg. & Ord.

PRO GRADU

Publice ventilandam sistit

ALUMNUS REGIUS

SAMUEL M. FRÖSTRÖM

Ostro-Gothus

In Audit. Gust. Maj: A:o MDCCXVI. d. XXIV. Maij, horis ante meridiem solitis.

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

Den
Ähreborne och Högacktade Herren
Bruks Patronen

Herr HANS HELLWEG,

Min Gunstige Gynnare.

MAra tacksam är jü billigt
Emot den/ som giör en godt/
Fast det sker med olikt mått;
När dock sinnet finnes willigt.
För det goda jag har niutit
Af Herr HELLWEG, jag ej än
Wijsat något prof igen;
Dock har tanckan aldrig trutit.
Mig förmågan der til fattas/
Och den tack jag wijsar här/
Blott en Pappers gåfwa är:
Wiljan lär doch högre skattas.
Anse gåfwan med godt tycke/
Sinnet mitt mer tacksamt är/
Der i jag Ehr godhet bär/
Som i skrijn ett wackert smycke.
Hwad jag kan det wil jag gifwa';
Önska städz Herr HELLWEG, godt
Och hans hus i högsta mått.
Eist med wördnad altjd blifwa

Högacktad Herr Bruks Patronens

Skyldigste Tienare
Samuel Fröling.

Thes. 1.

Vum anceps atq; ambigua sit in multis actionum humanarum ratio, & bonorũ malorumqve causſæ adeo sæpe sint in occulto, ut vel anxiam & sollertem investigationem fugiant eludantqve; nihil quidem magis eximium, & ex usu vitæ civilis, sed juxta nihil difficilius, quam inter tot dubios casus, atqve angustias ingenii humani, inoffensum tenere cursum, rationesqve & consilia ita rerum vicissitudinibus attemperare, ut, si eventus proposito non re-

ſponderit, ne vel ſua culpa doleat noxia cunctatio, vel in casſum ad fortunæ crimen malaſua infelix referat temeritas. Ea namqve eſt rerum agendarum ſtupenda multitudo, & in multudine infinita propemodum varietas, ut quicquid ſit in homine prudentiæ, illud ſæpenumero fluctuet hæſitetqve. Variant enim in immenſum tempora, loca, homines,& quæ alia rebus adſtant : quorum vel minima mutatio, in conſilium non adhibita, ſæpe ſperatos actionum ſubvertit eventus. Auget inſuper ac alit hanc difficultatem fortuna, cujus divina & arcana vis, quia non intelligitur, inconſtans in res humanas exercere videtur imperium : quod mirum quantum nos ſæpe percellat. Nunc enim omni potentior conſilio, ſaluberrime conſulta diſſipat;

nunc rursus eadem, consilio atqve prudentiæ non favet modo, sed etiam magnum eidem addit momentum. Atqve ut rem in pauca conferam; prout mortalium conatibus favet vel adversatur fortuna, ita etiam consilia cujusqve promovet aut corrumpit. Hæc syrtis est instar, ad quam tot magni cetera viri allidentes fecere naufragiũ: hic nodus ille Gordius, cujus occulti & inexplicabiles nexus vel excellentissima torserunt ingenia: adeo ut summi quoqve Politici hanc rerum varietatem, fortunæqve imperia considerantes, perqve ea *in*tradendis prudentiæ præceptis caligare se deprehendentes, hunc laborem tantum non detrectaverint. Verum ne duce plane destituti, cœco impetu in actiones suas ruerent mortales; in patenti hoc & pe-

conf Lips. Polit l. 4. c. 1.

riculoſiſſimo campo viam monſtrarunt, veſtigia ſapientium fortiumqve virorum legendo, atqve ex eorum rebus proſpere vel infeliciter geſtis, quid in hoc labyrintho ſequendum fugiendumve, feliciter ſatis docuerunt: quæ tamen ut ſexcentis adhuc immutari modis, ita vel prudentiſſimum quemqve ſuſpenſum relinquere poſſunt & hæſitantem.

Theſ. II.

Ceterum inter hos dubios rerum caſus, haud dubie plus conſilio, quam ulli rei alii confidendum. Pendet inde, niſi aliud fortuna voluerit, actionum noſtrarum eventus. Quamvis enim fatendum ſit, fortunam, ut ſæpe hominibus videtur, favere temeritati, ut illa felicius interdum rem expediat, quam ſingula rerum momenta accurate penſitans pru-

prudentia; ad ultimum tamen ferociam deſtituit, &, quaſi cœcis furoribus non ſufficiat fortuna, in ultimam ruere patitur perniciem. Adeo, inquam, felici rerum ſucceſſu, quem, unde ſit, non capiunt, ineſcantur fortunam nacti fautricem, ut huic ſe non recte permittentes, ferociter omnia agant & præpropere, neglecto omni munere virtutis. Unde rerum gerendarum avidi magis quam capaces, eo temeritatis procedunt, ut Icario tandem caſu, pœnam inconſulti impetus ſuæqve ſtultitiæ luant promeritam. Tum vero, quaſi nulla ſui fuiſſet officii pars, fortunæ inconſtantiam accuſant, deqve ejus injuria injuſte ac intempeſtive queruntur: ſed queruntur fruſtra; quum brutorum inſtar animantium, nec ipſi eorum, quæ proſpere

eveniunt, queant reddere ratione m, nec, ad ultimum infelices, ſub quocunqve fortunæ prætextu, a culpa ſuæ calamitatis liberari. Verum alia prorſus eſt natura & indoles actionum, quæ provido cautoqve ſuſcipiuntur conſilio. Illæ enim inſperato exitu animum prudentis non poſſunt percellere, ſi vel maxime non cedant ex voto: quippe qui omnibus, quæ caveri poſſunt, diligenter penſitatis; ſuæ tamen prudentiæ non plane ſecurus, ſemper *diverſa præſentibus, contrariaqve exſpectatis aut ſperat aut timet.* Vell. l. II. c. 75. Quam obrem etiam ſolida, quæ ex proſpero rerum exitu reſultat, gloria & felicitas, agentis jure meritoqve tribuenda eſt prudentiæ: quæ vero fortuna, cui nunquam obluctatur vere prudens, in contrarium flectit, ab eorum noxa tanto facilius

eum liberabunt & ſapientes & recte factorum conſcientia, quanto certius conſtat, eſſe quod humana temperat omnia numen. Eximia prorſus, licet obſcuriora in re Chriſtianis manifeſta, in hanc rem ſunt verba Ciceronis: qui cum Brutus eum admoneret imminentis periculi, ob favorem Pompeji, veteranorumqve invidiam; *ego* inquit, *quæ provideri poterunt, non fallar in iis: quæ cautionem non habebunt, de iis non ita valde laboro-neqve meam quidquam & cavebo omnia.* *Cic. Epiſt. ad fam. l xi Ep. 21.*

Theſ. III.

Quandoquidem igitur *nihil poteſt eſſe diuturnum, cui non ſubeſt ratio*, optatiqve rerum eventus non niſi virtute duce, adgubernante vero fortuna, ſunt exſpectandi; manet inconcuſſum, prudentiam conſiliumqve eſſe debere actionum, *Curt.*

quæ nobis adſcribantur, ducem. Illa ipſa, conſideratis ſingulis, quantum fieri poſſit, rerum circumſtantiis, oſtendet nobis, ubi feſtinatio, ubi cunctatio ſit adhibenda. Licet enim ea ſit plurium actionum indoles & habitus, ut moram non patiantur, ſed conſilium in arena quaſi poſtulent; quum ſæpenumero in impetu quodam atqve vigore felix ſit poſitus rerum agendarum exitus: tamen, cum ſæpius, niſi præceſſerit accuratum rei ſuſcipiendæ examen, in triſtes nec revocabiles caſus nos præcipitemus; tutius omnino eſt, ad omnia intentos, lento atqve ſuſpenſo quaſi gradu progredi: Nam

Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt, Proſpicere.

Terent. Ad. Act. III. Sc. 3.

Thes. IV.

Quemadmodum igitur in omni vita, sic in re militari, primas, post divina auspicia, partes vindicare sibi prudentiam, prudentiæqve alumnam quasi cunctationē, testantur magnorum ducum imperatorumqve exempla : qui vel sua experientia, vel aliorum exemplis, vel deniqve ipsa rerum indole edocti, quoties aptus moræ locus, rem provide suscipiendo, cauteqve peragendo, gloriæ ac felicitatis famam consequuti sunt immortalem. Unde non sine causa Cæsar Augustus, inter ceteras, quibus instructus fuit, virtutes imperatorias, principem locum merito adsignavit prudentiæ : cujus verus & vivus character est sapiens illud, quod perpetuo inculcabat, effatum, σπεῦδε βραδέως. Atqve ut Augustum,

præter ingentes, quibus ipſe gaudebat, animi dotes, multum etiam profeciſſe nobis perſvademus, conſiderando exempla magnorum in Republica Romana virorum; ita animo ſuo repræſentans cum in aliis, tum in rebus bellicis, veram prudentis feſtinationis indolem, hanc ſuam teſſeram non aliunde habuiſſe videtur, quam a Q. Fabio Maximo cunctatore: qui ſalutari ſua cunctatione, inclinatam & prope deperditam Romanæ virtutis ſpem erigendo, id aſſequutus eſt, ut nominis ejus fama, non niſi cum humani generis interitu ſit extingvenda. De hujus vero Fabii *cunctatione*, ſeu, quod idem eſt, *lenta feſtinatione*, quoniam paucis, pro ingenii modulo, & temporis præcipue, qua circumſcribimur anguſtia, agere in animum induximus;

duximus; verbo tantum initio obſervamus, cunctationis & feſtinationis vocabula heic non adhiberi ut pugnantia: nec ſub cunctatione tarditatem ſegnitiemq;, neq; ſub feſtinatione temeritatem atqve audaciam nos commendare. Eum autem lente feſtinare & ſapienter cunctari arbitramur, qui in rebus quidem gerendis adhibet induſtriam & diligentiam, ſed prudenti cautaqve circumſpectione ita temperatam, ut præſentia præteritis, præterita futuris; fines cum mediis, & media cum finibus comparando, ſingula diligenter æſtimet & ponderet, caveatque, ne vel nimia feſtinatio in pericula præcipitet, vel ſegnis mora magnas oportunitates ſibi e manibus eripiat. Atqve hoc eſt maturum illud prudentiæ robur, ex quo magnarum

rerum

rerum eventus exſpectandi ſunt, humano generi aut civitati ſalutares. Quemadmodum enim ignis aliquando aqua eſt reſtingvendus, ne erumpat in incendium; ita etiam actiones noſtræ habenis quibusdam remorantibus ſunt comprimendæ, ne impetu & vehementia impediantur ſana conſilia, nec quæ provida ratio ſalubriter deſtinavit, fervor corrumpat.

Theſ. V.

Hoc olim Romani ſi cogitaſſent diligentius, vix tot Pœnorum impetus infeliciter ſuſtinuiſſent, nec tantis cladibus, ad interitum prope, eos afleciſſet Annibal, ſecundi belli Punici dux & auctor. Etenim quæ alia P. Cornelio Scipioni, duci cetera magno, cauſſa fuit Annibali victas tradendi manus, quam quod accepto tirone exercitu, in campo patenti

inter

inter Padum & Alpes, loco ſibi plane alieno, Pœnis vero, utpote equitatu prævalentibus, maxime oportuno, pugnare non dubitaverit? Verum ejusdem Scipionis ductu, mitiora poſt hæc fata Romani ſperare potuiſſe videbantur, niſi is commilitonem nactus fuiſſet Sempronium. Scipio enim accepto & ſui corporis & imperii Romani gravi vulnere, cum tandem deprehendiſſet, alia ratione compeſcendum eſſe Annibalis furorem, *rem* poſtea *trabi malebat*, cum Galli in agrorum defenſionem, a Romanis auxilium adverſus Annibalem peterent. Sempronius vero, *nullam patiebatur dilationem; ſed cunctante collega, equitatum ſuum, ad defendendum agrum gallicum, trans Trebiam mittit*: initio quidem aliquo cúm ſucceſſu, quod prædatores Annibalis fugaverat.

Liv. l. 21. c. 52.

Loc. cit.

rat. Unde ferox & superbus, ut *occasione* uteretur, *in se unum vertendæ gloriæ, dum æger collegæ erat*, cunctationem ejus increpans, animiqve magis, quam corporis ægritudinem ipsi exprobrans, ad certamen milites hortatur. Huic ducis ferociæ temeritatiqveimminens Annibal, *dum tiro hostium esset miles, dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret*, pugnam maturavit, eumqve gravi clade affectum turpiter fugavit. Nec meliorem sortita est exitum insita ingenio Caji Flaminii temeritas: quippe qui, spretis deorum hominumque consiliis, Añibalem ad Thrasimenum lacum temere aggressus, non modo ipse hasta transfixus occubuit, sed etiam cladem Romanis inter paucas memoratã memorandamve acceleravit.

ibid. c. 53.

id. ibid.

Thes. VI.

His aliisque malis, per imprudentiam plerumque & temeritatem ducum, attriti & propemodum exhausti Romani, de Italia defendenda amplius non multum cogitarunt: sed quo duce, quo exercitu, quibus denique artibus victorem hostem a mœnibus ipsius Romæ propulsarent, anxii anhelique deliberaverẽ. Itaque Q. Fabium Maximum populus, absente Consule, Prodictatorem creavit, & Magistrũ Equitum M. Minucium Rufum: quibus a Senatu, Urbis, &, si quæ sperari posset, Italiæ defensio commissa. Sensit autem Fabius, grave & periculosum sibi injunctum esse munus, quo si infeliciter defungeretur, de tanto imperio actum esset. & conclamatum. Vidit præterea ad omnia cautus, Annibalis vim

vim omnem in vehementia & velocitate ſitam; & ob id deſperavit, poſſe ſe hominem his, quibus tam diu adſveverat & triumphaverat, artibus ſuperare. Erat enim Annibali *plurimum audaciæ ad capeſſenda pericula, plurimum conſilii inter ipſa pericula: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat.*

Liv. l. 21. c. 4.

His tantis animi corporisqve dotibus acceſſit felix rerum ſucceſſus: unde, ut in proſperis fieri ſolet, aucti inflammatiqve magni ac feroces illi ſpiritus, ingenti ardore opera ejus tantum non omnia maturabant; adeo ut feſtinatam in plurimis actionem ſibi tanquã imperaſſe videretur: quæ niſi ſucceſſiſſet, inter temeritatis exempla ab hiſtoricis forte fuiſſet numerata. Hæc omnia probe ſecum reputans Fabius, de arte, qua ferocem

tot

tot victoriis hoſtem exciperet atq; eluderet, cœpit cogitare: ſed deerat miles, deerant arma, deerat denique nervus rerum gerendarum. Itaque arma detracta templis, ſervi libertate donati, & opes privatæ certatim in ærarium publicum collatæ, ſcribarum manibus, teſte Floro, faceſſere negotium. L. 2. c. 6.

Thes. VII.

Verum enim vero ne inauſpicato huic ingentis momenti periculique rei ſe accingeret Fabius; *vocato ſenatu, a diis orſus, edocuit patres, plus negligentia cæremoniarum auſpiciorumque, quam temeritate atque inſcitia peccatum a Cajo Flaminio conſule eſſe, quæque piacula iræ deûm eſſent ipſos deos conſulendos eſſe.* Liv. L. 22. c. 9. Scilicet hoc primum eximiumque ſapientis ejus cunctationis ſpecimen. Quamvis

enim crudelitas Annibalis Italiam miſere devaſtantis, aditumque ad ipſas Romæ portas molientis, dilationem non ferre videretur; auxilium tamen non ita maturandum voluit noſter, ut aliquid neglecto deorum cultu infeliciter ſuſcipere: ſatis prudens, tum demum optime conſultum fore imperio, ſi per religioſam venerationem provocata deorum cura, pro eo fidas ageret excubias. Propterea torpentem virtutem non alias felicius, quam religione animari & erigi poſſe ratus; ver ſacrum vovendum, ludos inſtituendos, pluribusque diis ac deabus ædes dicandas curavit, ubi junctis animis & ſuſpiriis ſupplicarent, quotquot aliquo publicæ calamitatis ſenſu tangebantur: certo ſibi perſvadens, hanc artem, hanc virtutem eſſe

esse præcipuam, qua ut prorsus destituebatur Annibal, ita eadem eum imprimis posse debellari. Usque adeo necessaria est in forte ac felici duce pietas, ut quicquid sine imploratione divini auxilii aggrediatur, si non semper infeliciter, temere tamen factum esse putetur: de hac vero ope certus atque perspvasus, quicquid prudentiæ humanæ reliquerit providum Numen, tuto poterit tentare. Quemadmodum enim illi, qui in tenebris digladiantur, innoxio sæpe ictu aëra feriunt nequiquam; ita etiam nisi pietas in duce reliquis ejus virtutibus prætulerit facem, in omnibus cæcutiet.

Thes. VIII.

Sacris rebus ita rite atque ordine peractis, tum demum de bello gerendo, deque re-

publica defendenda cœptum eſt deliberari. Initio autem Fabius prudenti edicto juſſit, ut *quibus oppida caſtellaque immunita eſſent, in loca tuta commigrarent, ex agris quoque uti demigrarent omnes regionis ejus, qua iturus Annibal eſſet: tectis priùs incenſis ac frugibus corruptis, ne cujus rei copia eſſet.*

Liv. 22. c. 11. Magnum enim momentum viribus hoſtium terendis confert, præſertim ubi cunctando res agitur, ſi ſterile ac nudum ſolum ipſis relinquendo, ad famem atque inopiam redigantur, nec incolas inveniant, quorum vel extorta tormentis confeſſione, in penitiorem rerum adverſarii regionisque perveniant notitiam, vel ſangvine famam augeant ſuæ crudelitatis. Dictator vero ipſe, ſociis civibusque, qui Romæ nuper erant conſcripti,

pti, partim in naves impositis, partim ad urbem defendendã relictis, partim etiam ad exercitum a Servilio consule acceptum ablegatis, lente festinavit ad ea loca, ubi grassari sciebat Annibalem. Ac ne inopinato in hostilem incideret exercitum, neve insidiis, quas Annibalis calliditas struere potuisset, incautus pateret; missis subinde speculatoribus, magna cura exploravit itinera: *nullo loco, nisi quantum necessitas cogeret, fortunæ se commissurus.* Et id quidem sapienter. Verum Annibal, suæ artis non oblitus, utendum ratus suorum animis, dum recentibus calerent victoriis, famæque insistendum, dum metu frigerent tironum animi; quam primum in conspectu erant hostium castra, militem educendo in aciem, Fabium non destitit irritare: ubi autem

Liv. 22. *c.* 12.

autem fruſtra eum laceſſitum, nihilque molientem deprehendit, tum vero in caſtra reverſus increpavit, *victos tandem martios Romanorum animos: de-*

Loc. cit. *bellatumque, & conceſſum eis propalam de virtute ac gloria eſſe.* Multum profecto ſua vel hactenus effeciſſe cunctatione videtur Fabius, quod eo dementiæ adegerat Annibalem, ut felici rerum ſucceſſu inflatus, de hoſtium virtute non modo judicaret iniquius, ſed & eandem propemodum contemneret. *Nihil enim tuto in hoſte deſpicitur: quem ſpreveris, valentiorem negligentia facies.*

Curt. l. c. 3. *Parva ſcintilla contemta, magnum excitavit incendium.* Nec

Corn. Nep. *ſine cauſſa dicitur; matrem ti-*

Trasyb. c. 2. *midi flere non ſolere.*

Thes. IX.

Sed ne ſic quidem omnem ſuæ virtutis ſuæque prudentiæ exiſtimationem in animo hoſtis

hoſtis plane extinxerat Maximus Cunctator. Nam hanc ejus moram Annibal ſecreta æſtimatione perpendebat: cogitatioque animum ſubiit, nec cum ſempronii præcipitantia, nec cum Flaminii audacia ſibi eſſe negotium: neque timore aut ignavia, ſed prudenti forte conſilio Dictatorem cunctari. Atque ut ejus prudentia tacitam ipſi injecerat curam; ita ne vel in caſſum eam timeret, vel ut arte quadam infringeret, conſtantiam ejus voluit explorare. Igitur *agitare & tentare animum movendo crebro caſtra, populandoque in oculis ejus agros ſociorum cœpit; & modo citato agmine e conſpectu abibat, modo repente in aliquo flexu viæ, ſi excipere digreſſum in æquum pos-* Liv. loc. cit.
ſet, occultus ſubſiſtebat. Quis vero tot ſuperbos æquo animo fer-

ferret insultus? Cujus patientiam non defatigarent crudelia hæc irritamenta? His tamen omnibus ferendis par Fabii animus, consilium, quod ceperat cunctandi, exsequebatur constanter. Qvemadmodum in mari rupes, sæviente procella, frementibus obruitur fluctibus; & dum desæviit tempestas, immota tamen manet, eminetque: ita etiam Fabii animum adeo non fregit sævientis Annibalis furor, ut potius ad eum ille immotus, ardorem hostis adhuc infra suam prudentiam esse ostenderet. Itaque non sine magna quidem commiseratione læsos intuebatur socios; sed tempus tamen remedium illis allaturum sperans, hactenus cunctando se hosti subtraxit, donec impetus ejus, veluti ignis, vel affusa aqua, vel deficiente ali-

alimento, langvesceret. Quare etiam *per loca alta agmen ducebat, modico ab hoste intervallo, ut neque omitteret eum, neque congrederetur.* Vera hæc, & genuina prudentis cunctationis indoles & natura. Nam dum multa agendo Annibal nihil effecit adversus invictam hostis constantiam; Fabius tanquam aliud agendo, omnia hostis consilia, omnesque conatus adeo turbavit, ut ipsi suspecta omnia & infesta, sibi vero suisque cuncta redderet secura. Interea autem, ut tironum animi Martis sensim imbuerentur artibus, *non universo periculo summa rerum committebatur*: sed *parva momenta levium certaminum, ex tuto cæptorum, finitimo receptu, assuefaciebant territum pristinis clades militem, minus jam tandem aut virtutis, aut fortunæ pœnitere* ibid.

suæ

ſuæ. Sapienter imitatus hac ratione pictores, qui artem tirones docturi, initio non totum aliquod corpus ipſis tradunt delineandum, ne tædio difficultatis inſveti abſterreantur: ſed exiguam primo corporis partem, vel ſingula ejus membra ſigilatim proponunt pingenda, donec integrum tandem compoſitum ex illis conſtruere diſcant.

Thes. X.

Tæduit jam Annibalem ſpei tam diu fruſtratæ, & certaminis toties nequicquam expetiti, ſenſitque nunc tandem, bellum ſibi eſſe cum Romanis. Poſtquam igitur in Samnio, Beneventanũ vaſtando agrum, & urbem Teleſiam capiendo, hoſtem accendere, & ad legitimum certamen fruſtra conatus fuiſſet provocare; per errorem ducis, Caſinum cogi-

cogitans, Caſilinum pervenit, & in campum Stellatem deſcendit. Ibi primo in Falernum prædatores emiſit: mox poſitis ad Vulturnum flumen caſtris, exuſſit amœniſſimum Italiæ agrum, villasque paſſim incendit. Fabius vero ad ferocia hæc hoſtis irritamenta intentus cautusque, per juga Maſſici montis agmen ſolito citius ducens, ſpem ipſi fecit congrediendi. Ceterum cum tot tantisque indignis ſociorum cædibus nihil commoveri, ſed adhuc cunctabundus certamen videbatur detrectare; *non Annibalem magis infeſtum tam ſanis conſiliis habebat, quam magiſtrum equitum* Minucium. Quid quod, licet *non in caſtris modo ſuis, ſed jam etjam Romæ infamem ſuam cunctationem eſſe* ſciret; *obſtinatus tamen, eodem conſiliorum tenore eſtatis reliquum extraxit.* Q

loc. ſæp: cit.

Lib. 22. c. 15.

con-

conſtantiam admirandam, con-
cioni ac famæ prorſus recla-
mantem! Atque hæc profecto
virtus prudentem ducem ſæpe
non ornat modo, ſed ipſi et
jam addit auctoritatem, ſi
quod ſemel illi ſe approbavit
conſilium, non vacillanti ani-
mo, ad quamcunque famæ au-
ram incautus mutat aut re-
jicit; ſed conſtanti propoſito,
niſi aliud ſvaſerit vel neceſſitas
vel occaſio, illud retinet ac ſer-
vat. Hæc probe perpendens Fa-
bius, inter iniquiſſimos rumo-
res, & ſiniſtra ſuorum judi-
cia, immotæ conſtantiæ edi-
dit inſigne documentum. Nam
cum Minucius increpando e-
jus ſegnitiem timiditatemque,
& hortando milites ad ſoci-
orum defenſionẽ ac certamen,
eo fere animos eorum pertra-
xerat, ut præcipiti ejus con-
ſilio adſentirent, eumque Cun-
ctatori præferrent. Æquo hæc
omni-

omnia tulit animo Fabius, e-
xistimans, *militibus cupiditatem*
pugnandi convenire; duces provi- *Hist. l. 3. c.*
dendo, consultando, cunctatione 20.
sæpius, quam temeritate prodesse;
ut apud Tacitum loquitur An-
tonius.

Toes. XI.

Inter hæc, sacrorum caussa
revocatus Romam Fabius, ab-
iturus, consilia sua surdis com-
militonis inculcavit auribus.
Etenim licet non solum impe-
rio, sed prope etiam precibus
eum admoneret Dictator, *ut* *Liv. lib. 22.*
se potius ducem, quam Sempro- *c. 18.*
nium Flaminiumque imitaretur;
hisce tamen contemtis, absen-
tiâ collegæ, tanquam occasi-
one satiandi suam temeritatẽ,
uti, & hostem quocunque lo-
co, quacunque ratione ag-
gredi constituit. Videbantur
quidem Romani sapienter
conjunxisse hos diversæ indo-
lis commilitones, ut alter al-

teri-

terius temperaret ingenium ſed nec fervor Minucii animũ Fabii accendere, conſilium ejus mutare, nec Fabii frigus, quantumcunque eſſet, magiſtri ignem reſtingvere potuit & temperare. Lætabatur igitur etiam Annibal non parũ abitu Dictatoris, ſperabatque, nunc tandem voti ſui ſe fore compotem, haud ignorans, *cum duce mutatam eſſe belli rationem, & ferocius, quam conſultius rem hoſtes geſturos.* Nec ſpes eum fefellit, licet calidis Rufi conſiliis aliquantulum favere videretur fortuna. Nam in diſpalatos Annibalis frumẽtatores cæde fugaque facta, mox juſta acie dimicans, ſex millia hoſtium cæcidit, quinque circiter Romanorum amiſſis. Tum vero literis ad ſenatum miſſis, hunc ſuæ temeritatis ſucceſſum, ceu ingentem victoriam, extollere non

id.l.22.c.22

non dubitavit. Fides ipſi habita Romæ: arriſit factum: *deque his rebus perſæpe, & in ſenatu & in concione actum eſt.* Accuſabatur igitur Fabius, quod & præſens & abſens fortunæ Romanæ fuerit impedimento, quodque *magiſtrum equitum M. Minucium Rufum, ne hoſtem videret, ne quid rei bellicæ gereret, prope in cuſtodiam habuerit.* Ceterum prudentiſſimus Cunctator, tanquam de ſpecula cuncta proſpiciens, magno hæc omnia contemſit animo, levemque hunc Minucii ſucceſſum potius timuit; ſatis gnarus, eum inde, in ſuam & reip: perniciem, inflatum magis fore atque ferocem: abſtinensque ſe concionibus, *nocte ad exercitum abiit.* In itinere vero conſtitutus, acceptas ſenatus conſulti literas, de æquato magiſtri imperio, adeo

Conf. Meti. Liv. l. 22. c. 25.

adeo non tulit moleſte, ut *cum invicto a civibus hoſtibusque animo ad exercitum rediret; ſatis fidens, haud quaquam cum imperii jure, artem imperandi æquatam.* Itaque licet tanto honore ſuperbus Rufus contenderet, *ut aut diebus alternis, aut partitis temporibus alterius ſummum jus imperiumque eſſet;* ſui tamen conſilii, amorisque in remp: tenax Fabius, ſua adhuc cunctatione, *quoniam omnia non liceret, quæ poſſet, ſervaturus,* exercitum cum eo divisit.

Liv. l. 22 c. 26.

ibid. c. 27.

Thes. XII.

Solutis jam ſuæ audaciæ habenis, laceſſitus ab Annibale Minucius, pugnandi copiam facere non verebatur: degeneris animi eſſe exiſtimans, provocatam non experiri virtutem. Initio quidem leviori pugna certabatur; creſcen-

tibus

tibus vero deinde cum certamine utrinqve auxiliis, totis viribus, nec dispari primo quidem fortuna, dimicatum est: Sed erumpentes inopinato ex tumulo, quem occupaverat Annibal, insidiatores, *fecerunt, ut neqve animus ad pugnam, neqve ad fugam spes cuiquam superesset.* Hæc omnia videns Cunctator, stultamqve & infelicem Minucii temeritatem deplorans: adesse simul sentiens illud temporis punctum, quo magnum felicitatis Romanæ momentum verteretur, quodque suæ cunctationis poscceret fructum: *nunc*, inquit, *signa extra vallum proferte. Victoriam hosti extorqueamus, confessionem erroris civibus.* Itaqve veluti cœlo demissus in auxilium veniens, congregatis fugâ sparsis & dissipatis Minucii militibus, pugnam restituit,

cap. 28.

cap. 29.

hoſtisqve ferociam adeo domuit, ut receptui Pœnus caneret. Eſt hoc viri prudentis, momenta temporis accurate obſervare, & occaſioni ſe offerenti non deeſſe, quam ſi frontem avertere patitur, a tergo calvam fruſtra conabitur retinere. Hac ſapienter uſus Fabius, quam ſalutari ſua cunctatione contraxerat infamiam, in ſolidam & immortalem vertit gloriam. Minucius enim, ſuam jam tandem ipſe videns ſtultitiam, junctis cum eo caſtris, patrem eum ſalutans, „plebiſcitũ de æquato imperio „ipſe primus antiquavit abro„gavitq; : ſub imperiũ & auſpi„cium ejus rediit, & ſigna legio„nesqve reſtituit. Quin & po-
Flor. l. 2. c. 6. pulus Romanus *ſcutum imperii* eum appellavit. Verum audi veram victoriæ gloriam & famam, confitente ipſo hoſte An-

Annibale; *ab ſe Minucium, ſe a Fabio victum. Tandemqve eam nubem, quæ ſederat in jugis montium, ſollicitatam procella, imbrem dediſſe.* Hæc ſunt, Humaniſſime Lector, quæ de lenta feſtinatione Fabii, per temporis anguſtiam, perque adverſam valetudinem, ſcribere potuimus: quæ ſi æqui boniqve conſulere digneris, de tuo favore nobis gratulabimur impenſe. cap. 29. cap. 30.

S. D. G.

Ad

Clarissimum Dominum

CANDIDATUM

SAMUELEM FRÖLING,

amicum ut suavissimum,

ita in paucis dilectum,

Cum de

Lenta Festinatione FABII

publice disputaret.

Hiccine jam FABIUS, quondam virtutis Alumnus,
Cunctari & lente qui properare docet?
Scilicet interdum prudens cunctetur oportet,
Sæpe ut festinet res monet atque locus.
Nam sapiens actus cunctos sic temperat arte,
Rebus ut in dubiis tutior esse queat.
Cætera quid referam? nam Tu, carissime FRÖLING,
Omnia quæ poscit cautio recta, refers.
Gratulor hæc: & nunc Tibi mitia fata precabor,
Ut possis nitido salvus adesse choro,
Pieridum in festo, cum laurus tempora cinget
Candida, quæ debent bocce decore frui.

JSRAEL MELANDER.

Til

Höglärde Herr Candidaten
Min Högt-Ärade gode Wän.

ÄR det ej rätt förut sig wäl betänka/
Då man af wikt en sak angripa wil?
Ell' är det rätt sig obetänkt insänka
I någon ting/ der råd bör wara til?
Jag menar bäst är/ at för fort ej fara;
Men skynda smått och mer försiktig wara.
Från Staden Rom en Fabius har detta
Med moget råd sig noga föreställt/
Att alt för brått en wicktig sak utträtta
Går sällan wäl; Men råd har mera gält:
Ty har med råd han mer än slipprig lycka
En Annibal sig kunnat undertryka.
Om det och mer Herr Fröling wackert skrifwit/
Af wanlig drift/ uti sit lärda wärck/
Hwar til ej ett ell' annat hastigt drifwit/
Hans wittra wett har lagom hastat/ märck:
Han har i otid ej på Pindi högder
Upsprungit/ som wäl sker; ty är han nögder.
Ja/ war man nögd Herr Fröling/ si/ Ert nöje
Skal icke en Er kunna taga från;
Fast mången tror at lärdom platt är löje;
Blir den dock fast Guds dyra nåde-lån/
Som man sig bör med högsta flit förskaffa/
En dygde-art/ den ingen rätt kan straffa.
Jag önskar Er min Wän all lycklig trefnad/
Och att I lön må för Ehr möda få/
Som swara kan emot Er Dygde lefnad/
Jo jo/ en krantz af Lager I snart nå/
Af Pallas sielf I detta nogsamt finna/
Så börjas wäl/ I lär wäl mera winna.

Wälment hastigast upsat
af
ESB. LITHMANG.

Præceptori Cariſſimo

Quid & quomodo ſcribas, Cariſſime Præceptor, non capit tenella mea ætas. Ceterum quoniam interroganti mihi de laboretuo, familiariter reſpondiſti, diſſertationem te gradualem conſcribere, & ſimul eam ſudare prælo jam intellexi; illa occaſione libenter utor, ad declarandum gratum in te animum, ob indefeſſam, quam geris, meifratrisque curam. Spero enim te gratulationem & vota mea, eadem frontis hilaritate excepturum, qua alias ſemper quamcunqve mei in te amoris ſignificationem reſpicere ſoles. Gratulor itaqve tibi laborem improbum, in re honeſta, & opto, velit Deus, in poſterum honeſtis tuis conatibus favere.

ita gratulatur

Petrus Åkerblom

I. N. J. C. N!!!

DISSERTATIO HISTORICO-
JURIS NATURALIS
De

INJUSTITIA
CHRISTIANORUM
IN PASSAGIIS,

Cujus
PARTEM POSTERIOREM,
Ex consensu & approbatione Amplis. Facult. Philos. in Reg. Acad. Upsal.
Sub MODERAMINE
Amplis. atq; Celeberr. VIRI,

MAG. FABIANI
BÖRNER,

Eloq. Prof. Reg. & Ord.
Pro solitis in Philosophia honoribus
Publ bonor. examini modeste submittit
ALUMNUS STIEGLERIANUS,

ERICUS MYRIN,
STOCKHOLMIENSIS.
In Aud. G. Maj. d. 29. Aug. A. MDCCXXIV.
horis ante meridiem.

UPSALIÆ, literis WERNERIANIS.

I. N. J. C. N.

Caput II.

§. I.

Præconia nonnullorum, passagiis attributa refert.

Ulam gloriosa habita fuerint passagia, vel ex aliis nominibus, quibus insigniuntur, & quæ ex celeberrimo Bœclero nos attulimus pag. 9. innotescere potest. Audiamus tamen aliqua laudantium loca. Prodeat Acconensis Episcopus, Jacobus de Vitriaco, qui in prologo Histor. Hierosol. in hunc modum, num. 40. *Cœpi non modicum animari, dolere & contristari, & nostrorum negligentiam & inertiam arguendo accusare; eo quod filii hujus seculi prudentiores in generatione sua filiis lucis:*

sum tanto studio & diligentia reproborum hominum pereuntia gesta describere procuraverunt. Ex nostris autem, diebus istis novissimis pauci vel nulli inventi sunt, qui regis æterni prælia, & triumphos gloriosos, & mirabilia gesta describere & scripto mandare studuissent, ad laudem & gloriam illius, qui solus laudabilis est, & glorioſus in secula. Et pag. sequente: *cum tamen in diebus nostris mira, & omni laude & memoria digna operatus sit Dominus, sive in Hispania, contra Mauros; sive in Provincia, contra Hæreticos; in Græcia, contra Schismaticos; in Syria, contra *. Sed in Ægypto contra Agarenos; in remotis partibus orientis, contra Persas, Assyrios, Chaldæos & Turcos. Tanta igitur & tam admiranda regis nostri prælia, & glorioſos de inimicis triumphos, sub silentio abscondere non debeo, ne forte ingratitudinis arguar.* num. 10. Wilhelmus Tyrensis lib. 1. cap. 16. *videtur vere divinitus procuratum præsens, unde loquimur, negotium, & verbum vere egressum a Domino.* Et pag. 2. prologi ad fin. *narrationis seriem ordinavimus, exordium sumentes ab exitu virorum fortium, & Deo amabilium principum, qui a regnis occiden-*

occidentalibus, vocante Domino, egressi, Terram promissionis, & pene universam Syriam in manu forti sibi vendicaverunt. Conradus â Liechtenaw, postquam ei Stomachus commotus est in eos, qui sinistre de his ipsis expeditionibus loquebantur, in hunc modum loquitur: *Nos autem in Domino tantum confidentes, nec præsentibus, sed futuris inhiantes, ac licet spectatores pigri, fautores tamen benivoli, laudemus eosdem nostri temporis viros glorioſos, qui vicerunt regna mundi, qui, relictis propter pium ovis centesimæ quæsitorem, conjugibus ac liberis, regnis & divitiis, posuerunt animas suas in manibus suis, zelo zelantes pro Domino Deo exercituum; ultroque condigne armati fortitudine, regis sui cœlestis ineuntes servitutem.* Quibus consona sunt, quæ pagg. seqq. 176 & 177 reperiuntur. *Ut periculosissimas, ita glorioſissimas expeditiones* nominat Bongarsius in epistola dedicatoria ad Ludovicum Regem Galliæ, quæ præmittitur operi expedd. orient. Et quis tandem pontificiæ religioni addictus est, qui, data occasione, non magnifice de his loquitur? Profecto, nemo illorum mihi innotuit a ceteris

diſcedens, niſi forte fuerit Stephanus Pasquier, Buddeo in ſua Exercitatione de expedd. cruciatis §.XV. citatus, qui ſuam eſſe ſententiam dicit, *Transfretationes eas fere ruinam attuliſſe Eccleſiæ, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus, eoque nomine eſſe improbandas, quod pontifices voluerint religionem noſtram propagare per arma, quam Salvator noſter voluerit creſcere per preces, exhortationes, jejunia, obedientiam & paupertatem.*

§. II.

Sententiam noſtram de paſſagiis exprimit.

Dixeris autem: *Quia tot teſtes in paſſagiis laudandis conſentiunt, non injuſta fortaſſis ſunt, ſed æqua & juſta?* reſpondeo: ſi juſtum eſt, ſine ſpeciali mandato divino, homines, ſuæ poteſtati minime ſubjacentes, ex diuturna ſua poſſeſſione ejicere, & hoſtiliter, imo inhumaniter tractare, jam tum etjam paſſagia Chriſtianorum, de quibus nobis eſt ſermo, juſta erunt & æqua; ſin minus, nunquam erunt juſta. Duo imprimis jam veniunt probanda, ſiquidem tertium

tium antea constat. Ecclesiasticæ Historiæ Scriptores, quotquot mihi contigit perlustrare, in eo consentiunt, Muhammedem, seculo septimo post natum Christum, occupasse Palæstinam, &, referente quidem Curione, Hist. Sar. lib. 1. prout a Simonssonio c. II. §. 2. de expeditionibus cruciatis, citatur, hac imprimis occasione, quod *redigebatur bello ad eas angustias Heraclius*, (Græcus Imperator is erat, cui Palæstina erat subjecta) *ut Arabes cum duce suo Mubammede, qui hoc tempore caput extollere cœpit, in auxilium vocare necesse haberet: quorum opera cum Hierosolymam & ceteras urbes recepisset, e bello redeuntem Mubammedes convenit, & regionem ad habitandum petiit atque obtinuit. Cum autem militibus stipendium non daretur, quererenturque Arabes, se merito stipendio fraudari, quæstor imprudenter nimis, atque arroganter, vix esse respondit, quod Græco & Romano militi daretur, ne dum huic canum turbæ.* Quæ verba in pectus alte demissa brevi toti fere Christianæ reipublicæ exitio fuere. In sequentibus Simonssonius ex eodem Auctore, Curione, probat, ab his initiis eo fuisse

progressos Muhammedis successores, ut, occasionem subministrantibus ipsis Imperatoribus Græcis, *jus quod in Palæstinam habebant non solum resignare, verum etjam tributa Sarracenis pendere coacti sint Imperatores Græci.* Cujus historiæ veritatem agnoscunt, Reverendissimus olim ArchiEpiscopus Upsl. Er. Benzelius Brev. Hist. Eccl. secul. VII. pag. edit. in XII. 159. Itemque D. Lucas Osiander Hist. Eccl. cent. VII. lib. I. cap. XI. vers. Svecanæ tomo secundo pag. 211. Quin & idem Doct. Osiander ad fin. lib. I. hujus centutiæ, Sophronium, Episcopum Hierosolymitanum, adspexisse refert occupationem hujus urbis, factam a Principe Muhammedanorum, Haumaro.

§. III.

Quam juste possederint Muhammedani Palæstinam, disquiritur.

Quod possessionem hujus regionis, & adjacentium, habuerint profani illi homines, negari non potest, quemadmodum etjam audivimus; *sed quo jure?* adhuc ab aliquo potest quæri. Quid, si jure belli diceremus? Certe ea, quæ

jam

jam attulimus in antecedentibus, ejusmodi sunt, ut ad justas belli causas referri queant. vid. Buddeus exercitat. de expedd. cruc. §. VII. Diuturnitatem possessionis pondus aliquod habere, non tantum consvetudo, imo lex scripta, docent, quum poscenti, rei, quam suam esse dicit, restitutionem negant, nisi mature, & saltem lege præfinito tempore eandem requisiverit; Sed & Dux ille populi Israëlis, Jiphtachus, qui regi Ammonitarum hæc nuncianda curavit: *Dum habitavit Israël Chesbone, & in villis ejus, & in Habrore, & in villis ejus, atque in omnibus civitatibus, quæ sunt secundum Arnonem, trecentos annos: & quare non eripuistis eas tempore illo?* Judic. XI. 28. Cur itaque Imperatores Orientales sive Græci, si Muhammedani occupaverint terram illam injuste, passi sunt eam per quinque fere secula (vid. Wilhelm. Tyr. lib. I. cap. III. ab initio) ab illis possideri? Occidentales vero sibi arrogare voluisse aliquod jus in hanc terram Palæstinam, nisi quod largiebatur præses iste cathedræ Romanæ, successor Petri Apostoli, imo, Christi vicarius audire volens, (sed

fruſtra quidem) ipſi forte non ſerio affirmabunt.

§. IV.

An ex ſociorum religionis oppreſſorum precibus acquiri jus potuerit?

Fieri potuiſſet id, ſi in Muhammedanorum in ſe imperium nunquam conſenſiſſent illorum locorum Chriſtiani, auxilium occidentalium poſtea, uti fertur, expetentes. Quomodo vero hoc affirmari poterit, tot ſeculis a prima occupatione præterlapſis? Citatur Buddeo exerc. §. XI. Patriarcha Hieroſolymitanus, Theodoſius, in epiſtola ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſic inquiens: *Multam Turcæ benevolentiam & compaſſionem oſtendunt in nos, licentiam nobis præbentes ædificandi Eccleſias noſtras, & tenendi ſine prohibitione mores noſtros, juſte agentes, & in nullo nobis injuriam vel violentiam inferentes.* Ideoq; *cum*, ſecundum Ciceronem, *duo ſint genera decertandi, unum per diſcepationem, alterum per vim; cum illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.* Et proinde, ſi quæ commoda religionis ſociis acquirere voluerunt occidentales,

tales, Cæſaris Caroli Magni exemplum ſequi potuiſſent. Affirmante enim Tyrio Wilhelmo lib. I. c. III. per contractam cum Aarum Reſſith, univerſi orientis Principe, amicitiam, *plebi Dei tranquillitas præſtita eſt, & favor Principis clementer indultus ad multam conſolationem; ita ut magis ſub imperatore Carolo, quam ſub dicto Principe degere viderentur.* Addantur, quæ ſeqvuntur ibidem, & quæ citantur a Simonſſonio c. II. §. 4. Et imprimis obſervari merentur verba, Babylonienſium Imperatoris nunciorum ad Principes Occidentales, cum verſarentur ad urbem Antiochenam, quæ reperiuntur apud Robertum Monachum lib. V. num. 40. *Dominus noſter Admiravisſus Babyloniæ, mandat vobis Francorum Principibus ſalutem & amicitiam, ſi ejus voluntati vultis obedire In aula regis Perſarum; Dominique noſtri, magnus veſtri cauſa congregatus eſt conventus, ſeptemque diebus protelatum eſt conſilium, quidnam eis ſuper hoc ſit agendum? Mirantur enim, ut quid ſic armati quæritis Domini veſtri ſepulchrum, gentem ſuam a finibus diu poſſeſſis exterminantes; imo, quod nefarium eſt peregrinis, in ore gladiii trucidantes.* Quod ſi poſt-

hac in pera & baculo vultis ire, cum honore maximo, rerumque opulentia vos illuc facient pertransire: de peditibus equites facient; qui pauperes sunt, in toto itinere nec in reditu amplius esurient. Et si per mensem ad sepulchrum diurnare placuerit, bonorum copia vobis non deerit: facultas eundi per universam Hierosolymam vobis concederetur, ut quo honore placuerit, & Templum & sepulchrum quilibet veneretur. Sed animi & aures eorum fascino pontificiæ potestatis & indulgentiæ totæ occupatæ, veritatis hujus impatientes erant, nec saniora consilia admittere voluerunt, quin destinata exsequi omnino pergerent.

§. V.

De modo belli gerendi, Occidentalibus usurpato in passagiis.

Prorsus eleganter & nervose dictum est a Roberto Monacho lib. I. Historiæ Hierosolymitanæ, pag. ord. 3. num. 10. & seqq. De Petro Eremita, ejusque *comitatu, magnam Longobardorum gentem, multosque alios ex diversis locorum spatiis ad urbem Constantinopolitanam inveniente,* sermo ibi est nostro Rober-

Roberto, qui, *omnis congregatio hominum*, inquit, *quæ bono auctore non gubernatur, si ei languidum caput dominatur, in deterius labitur, & quotidie languescit, & a salute elongatur. Propterea & hi*, pergit, *reprehensibilia opera faciebant. Ecclesias enim & urbis Palatia destruebant, & quæ in eis erant auferentes, plumbum, quo tegebantur, abstrahebant, & Græcis vendebant.* Et *ultra* fretum, quod Sancti Gregorii Brachium dicitur, *progressi, Ducem sibi elegerunt, & quendam Rainoldum sibi præposuerunt: qui, licet principem haberent, eadem tamen rapinæ opera agere non cessabant. Nam domos, quas inveniebant, igni comburebant, & Ecclesias bonis suis & facultatibus denudabant.* Et hæc quidem in religionis socios, & non hostes committebant, per quorum regiones ipsis erat transeundum. vid. Wilhelmus Tyrius lib. I. cap. XXIII. num. 30. item cap. XXVII. num. 10. Quid ergo fiet de illis quos hostes habebunt? Docebit hoc ipsum porro idem Robertus lib. II. pag. 31 ad fin. *Egressi de Castoria venerunt in Palagoniam, in qua erat quoddam castrum Hæreticorum, quod*

undi

undique aggressi sunt, & crepantibus buccinis & telis ac sagittis volantibus illico ceperunt, & spoliatum omnibus bonis, cum suis habitatoribus igni combusserunt. Neque vero hi erant hostes, sed in quibusdam articulis tantum discrepantes, quibus tamen idem Robertus de illata sibi aliqua injuria per hoc ipsum, querendi veniam non concedit, in sequentibus addens; *Nec id eis injuria contigit, quia illorum detestabilis sermo, ut cancer, serpebat*; &c. Horret autem animus, cum ejusmodi lanienam considerat, qualem, occupata tandem Hierosolyma, Christianus exercitus patrare sustinuit. Describit tamen illam Albertus Aquensis Histor. Hierosolym. lib. VI. cap. 30. quod totum oculis Lectoris subjicio: *Consilio hoc accepto,* (quatenus scilicet universi Sarraceni & Gentiles, qui captivi tenebantur, pecunia redimendi, aut redemti sine dilatione in gladio corruant, ne fraude aut ingenio illorum Christianis aliqua occurrerent adversa; sicuti habent præcedentia verba) *tertio die post victoriam egressa est sententia a Majoribus: & ecce universi arma rapiunt & miserabili cæde in*

omne vulgus Gentilium, quod adhuc erat reſiduum, exſurgunt, alios producentes e vinculis & decollantes, alios per vicos & plateas civitatis inventos trucidantes, quibus antea cauſa pecuniæ, aut humana pietate pepercerunt. Puellas vero, mulieres, matronas nobiles & fœtas, cum puellis tenellis detruncabant, aut lapidibus obruebant, in nullis aliquam conſiderantes ætatem. E contra, puellæ, mulieres, matronæ, metu momentaneæ mortis anguſtiatæ, & horrore graviſſimæ necis concuſſæ, Chriſtianos, in jugulum utriusque ſexus debachantes & ſævientes, medios pro liberanda vita amplexabantur, quædam pedibus eorum advolvebantur, de vita & ſalute ſua illos nimium miſerando fletu & ejulatu ſolicitantes. Pueri vero quinquennes aut triennes, matrum patrumque crudelem caſum intuentes, una miſerum clamorem & fletum multiplicabant. Sed fruſtra hæc pietatis & miſericordiæ ſigna fiebant. Nam Chriſtiani ſic neci totum laxaverant animum, ut non fugens maſculus aut fœmina, nedum infans unius anni, vivens manum percuſſoris evaderet. Unde plateæ totius civitatis Hieruſalem, corporibus extinctis virorum & mulierum, lacerisque membris

membris infantium, adeo strata & operta fuisse referuntur, ut non solum in vicis, soliis & palatiis, sed etjam in locis desertæ solitudinis copia occisorum reperiretur innumerabilis. Plura ejusmodi coacervavit exempla Simonssonius in cap. II: di §§. postremis.

Cap. III.

§. I.

De tristibus eventibus aliqua memorat.

QUis autem non credat, Muhammedanos & Gentiles ceteros hæc talia cognoscentes, adeo detestatos Christianorum nomen, ut vel cum vitæ suæ dispendio conati fuerint omnes illius confessores extra Asiæ terminos, si non ultra, ablegare? Credimus utique, & res ipsa loquitur. Non cessarunt enim Muhammedis cultores, & quocunque præterea nomine venire possunt orientales non Christiani, non cessarunt, antequam Imperio Constantinopolitano finem imposuissent,

sent, omnibus illius provinciis in suam potestatem redactis. Nec quidquam curarunt, Romanum Pontificem has ipsis prærogativas invidere. Quin etjam toti Europæ, præcipue vero sibi finitimis dira quævis hodierno die minitantur, quæ utinam gladio Petri avertere potis esset, qui successoris illius titulum manibus pedibusque vindicare sibi conatur, Papa Romanus! Passagia Christianorum decem præcipue memorantur; sed quas calamitates Christianos homines in iis vel subiisse vel meruisse suspicabimur; cum omnes nationes, Papæ dogmata recipientes, ad hæcce passagia confluere necesse haberent; adeo ut nec majores nostri expertes hujus mali fuerint, quemadmodum id asserit Amplissimus & maximè Reverendus Dn. Professor Jacobus Benzelius in suæ Palæstinæ sect. poster. c. III. Quod nec omnia prospera in ipso itinere experiri coacti sint passagia facientes, adducto Petri Eremitæ exemplo testatur Jacob. de Vitriàco Hist. Hierosol. lib. I. cap. XVII. his verbis: *Multa in via illa a gente Bulgarorum passus incommoda, de exercitu suo fere de-*

cem

cem millia amisit in prælio. Currus etjam & plaustra usque ad duo millia, cum parvulis & mulieribus, & diuitiis multis, & varia supellectilia a prædictis barbaris & impiis hominibns detenta sunt & violenter ablata. Quid censes futurum, vel potius factum esse, quando secundum Wilhelmum Tyrensem lib. I. c. XVII. num. 40. & seq. *Nulla erat usquam in tot provinciis, quot habet occidens, domus ociosa vel una. Cuique juxta suam conditionem familiaria suberant, circa quæ solicitabantur, negotia, dum hic pater familias, ibi filius, illic vero tota domus ad migrandum se componeret? Vocantibus ceteros bis, qui turmarum erant duces designati, cum singultibus & suspiriis dividebantur ab inuicem carorum amplexus, & supremum sibi valedicentes, separabantur in osculis. Mater filium, parentem filia, soror fratrem, uxor maritum, in ulnis deportantes parvulos, & fugentes ubera, cum lacrymis & ejulatu comitabantur abeuntes; & dicto vale, quos gressu non poterant, defixis obtutibus prosequebantur.* Quam solitudinem & mœrorem domi manentibus, quas etjam ærumnas iter hoc ingredientibus, non devorandas fuisse, conjicie-

ficiemus? Quando præter vulgus, etjam ſummi Magiſtratus cruce ſignati transfretabant, quam in rebus publicis confuſionem, imo deſolationem ſecutam non fuiſſe, exiſtimabimus? *Præfame contabuiſſe multos,* teſtis eſt Tyrius lib. I. cap. XXII. num. 10. & cap. XXV. num. 40. ubi hæc habet de exercitu Petri: *Ceciderunt in ea congreſſione* (cum Solimanno & illius exercitu) *de viris nobilibus, qui Petri caſtra ſequebantur, Galterus Senſaver, Rainaldus de Breis, Fulcherus Aurelianenſis, & alii innumerabiles. Nam de viginti quinque millibus peditum, qui de caſtris egreſſi fuerant, & de quingentorum numero equitum, vix vel unus ſuperfuit, qui aut mortem effugerit, aut vincula. Tandem vero hac potitus victoria, & præſenti ſucceſſu Solimannus factus elatior, in caſtra violentus irruit; id reſiduum quod ſupererat, nemine jam qui reſiſtere poſſet, invento, gladiis abolet: ſenes, valetudinarios, monachos & clerum univerſum, matronas quoque grandævas ferro perimens: ſolis pueris, ac puellis & impuberibus,* (quibus tamen Hieroſolymis non parcebatur a Chriſtianis) *quorum proeis etas intercedebat & facies, ad hoc*

 parcens,

parcens, ut servituti manciparet. Simile legas exemplum cap. XXVIII. Videatur etjam Albertus Aquensis lib. VIII. cap. XIX. itemque c. XXXIV & XXXIX. Ex quibus exemplis, de tota militia per aliquot secula continuata, fiat judicium. Et quod maxime dolendum, testimonium perhibente Rege Galliæ Ludovico, in epistola ad universos cives suos, *multi imbecilles & fragiles ad victimam ab hostibus ducti, appositis gladiis super eorum cervicibus, compulsi clamare legem sceleratissimi Machometi, exorbitarunt a fide, legem illam detestabilem profitendo,* ut videri potest in opere expedd. Orient, pag. 1199. num. 20, Ut nihil dicamus de non ferendo, & quod maxima cum difficultate excuti postea potuit, jugo pontificiæ tyrannidis, per has expeditiones & Imperantium & parentium cervicibus impositio; quod unicum fuisse Pontificum propositum, singulari exemplo testatur Conradus a Liechtenaw, pag. 248. repetantur etjam quæ dicta sunt superius c. I, §. IV.

§. II.

De prosperis eventibus agit.

Fatendum quidem est, pacem aliquam,

quam, saltem ad tempus nactas esse Ecclesias Orientales, post occupatas vel regiones vel urbes ab Occidentalibus Christianis, ut cultus Dei, qualis istis seculis vigebat, libere exerceretur. Neque negamus, tutelam aliquam Europæ præstitam per ordines equestres occasione horum passagiorum institutos; sed quæ adscribenda providentiæ Summi Numinis, quod adeo benignum est in filios hominum, ut mala non sineret fieri, nisi bonum aliquod inde eliceret. Hæc autem bona non per se, sed per accidens a passagiis derivari posse, pronum erit colligere.

§. III.

Finem dissertatiunculæ imponit.

Quo magis festinandum erat, cum priorem particulam, a morbo convalescens, emittere necessum haberem, eo majori cum diligentia posteriorem hanc elaborare animus erat: quapropter etjam in aliud atque aliud tempus hasce curas distuli, majus aliquod otium subinde exspectans. Sed quia *per Summi Numinis clementiam, & Superiorum, ac quorum interest ad hoc*

Illustre

Illustre Lyceum & Urbem Upsaliensem, benignam in me *voluntatem*, jam est factum, ut labores sacros in dies mihi multiplicari sentiam, summas hasce lineas ducere malui, quam quod proximiseram, omnino intermittere. Ipse quidem intelligo, minus jam satisfieri posse expectationi *Candidi Lectoris*; verum si Auctores a me citatos evolvere non piget, quin sufficiens de nostris passagiis cognitio haberi poterit, nullus dubito. Ego certe, si non aliud præstiti, saltem ex ipsis Historiarum fontibus ostendi, & quid habitum sit de his expeditionibus, & quid sit habendum. Ut itaque pauca hæcce æqui bonique consulantur, humillimus rogo.

SOLI DEO GLORIA!!!

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hermansson, Johan,

Diss. hist. de bello Mithridatico Pars prior

Upsalia 1726
Diss. 54#Beibd.2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10839483-4